

4
11
3







XXXVII

BERN. de

Dom. Lauret

2. 3. 187

HYPOBOLIMÆA DIVÆ MARIAE DEIPARAE CAMERA,

Seu

IDOLUM LAU=RETANUM,

Eversis Baronij Cardinalis, Canisii, Turriani ac Tursellini Iesuitarum fulcimentis dejectum.

Vbi passim ex re natâ contra Pseudojubilæum Petri Rœstii, Iesuitæ Molsheimensis Academiæ, disseritur.

Occasionem scripti docebit ad Lectorem præfatio. *Autore* MATTHIA BERNEGGERO, *Argent. Acad. Professore.*



ARGENTORATI,

Impensis CHRISTOPHORI AB HEYDEN, Anno Domini 1619. qui est à celebrato Iubilæo Evangelico Secundus.

Προσφώνησις

Ad Generosam Inclytæ Nationis Danicæ Nobilitatem, in Argentoratensi nunc Academiâ studiorum gratiâ commorantem:

Dom. MAGNUM CLAUDIUM Seestedt/ de Nöragergaard:
D. NICOLAUM BYRGERI Trolle/ de Trollholmb:
D. OLIGERUM ROSÆKRANTZIUM, de Boldwer:
D. CHRISTIANUM HENRICI Ucke/ de Gisselfeld:
D. ÆSCHYLLUM GIÓE
D. FALCONEM GIÓE
D. OTHONEM GIÓE
} D. Henrici Gióe p. m. filios, de Turebygaard:
D. GUNDÆUM ROSÆKRANTZIUM, D. Oligeri Rosækrantzii de Rosenholmb F.
D. ACCILIUM CANUTI Gyldenstern/ de Thüm:
D. STICHONEM PORS, de Skowffsgaard:
D. LAURENTIUM Skenckell/ de Gierskow:
ut &
D. CORNELIUM CORNELII Hamsfort/ Clariss. & Experientissimi Medici D. Cornelii Hamsfort F.

Dominos meos omni studio & observantiâ colendos.

QVantæ curæ sapientissimus quisq; Principum, Generosi, & antiquâ nobilitate splendidissimi ornatissimiq; Iuvenes, habuerit, ut Nobiles familias in suo Principatu vel servaret florentes, vel ad interitum spectantes erigeret, cùm pluribus alijs exemplis docere in proclivi

foret: tum est insigne Imp. Augusti, qui non tantùm, Suetonio teste, Patritiorum numerum implevit: sed etiam Senatoribus non habentibus censum, suâ munificentiâ supplevit: & inter alios Hortalum nobilem juvenem illexit liberalitate decies sestertium (quæ sunt, nostro more loquendi, coronatorum viginti millia) ut uxore ductâ liberos susciperet, ne clarissima familia (*Taciti verba sunt*) extingueretur. *Quin ipse Nero, priusquam celebre illud quinquennium, quo virtutis adhuc præ se studium tulit, explesset, hanc sibi laudem præripi noluit. Sic enim de eo Tacitus*: Nerone tertiùm Consule, simul iniit Consulatum Valerius Messala, cujus proavum oratorem Corvinum divo Augusto abavo Neronis, collegam in eo magistratu fuisse, pauci jam senum meminerant. Sed nobili familiæ honor auctus est, oblatis in singulos annos quingenis sestertiis, quibus Messala paupertatem innoxiam sustentaret. Aurelio quoq; Cottæ & Haterio Antonino annuam pecuniam statuit Princeps, quamvis per luxum avitas opes dissipâssent. *Præclarè sanè prudentérq; factum. Ut enim imperium in hominem quàm in feram præstantius est: ita quoq;, quò præstantiores melioresq;*

résq;

résque sunt, quibus imperatur, homines; tantò plus dignitatis ad imperantem ipsum redundare certũ est. Unde cùm inter duos dominos orta esset aliquando contentio, quòd alter altero potiorem se esse dixisset, ita compositum esse dißidium Amiratus in dissertationibus politicis asserit, ut alter declararet, se potioribus subditis quàm ille, cum quo contentio erat, imperitare. Certè laudatißimus Imperator Carolus V. summæ sibi gloriæ duxisse, seque Gallorum Regi eâ causâ prætulisse scribitur, quod dominium haberet in personas liberas & nobiliores, non libidini, sed rationi parentes. Quid quòd divinus propheta Ieremias nihil sub specie Hierosolymæ lamentabilius afferre videtur præ lamentatione illâ, qua Nobiles ejus civitatis delendos fore deplorans, Abstulit, *inquit*, Magnificos meos Dominus de medio mei. Et Seneca sapientißimus in illâ famosißimâ, Romanis à Teutonibus illatâ clade Varianâ exaggerandâ, nihil efficacius esse statuit, quàm quod ea multos splendidissimè natos depressit.

Non nescio quidem, aliter animatos esse non paucos, quibus ad constituendas firmandásque monarchias nihil accommodatius esse videtur, quàm vetustißimas quasque, & nobilitate ac poten-

tiâ præstantissimas familias vel deprimere, vel prorsus è medio tollere. Hoc enim Thrasybulus Milesiorum tyrannus Periandro Corinthiorum Regi significavit: cùm nuncium sibi ab eo missum in messem maturam ducens, eminentiores aristas baculo decuteret, ac Periandro id referre juberet. Hoc & Tarquinius Superbus, Rex Romanorum, Sextum filium apud Gabios imperantem docuit, cùm coram tabellario summa & extantia papaverum capita in horto detruncaret, ac visa nunciare filio mandaret. Hoc deniq; suo Principi suadet malignus ille doctor ab Hetruriâ, cùm inquit: se non posse ulla meliora præcepta dare novo Principi, quàm si illi proponat imitanda gesta Cæsaris Borgiæ, Ducis Valentini, spurii Alexandri VI. Pontif. seu, ut ante Pontificatum dictus fuit, Roderici Borgiæ, Hispani: cujus inter alia facta hoc quoq; recenset, quòd primores omnes & nobilissimos quosque, quos læserat, unâ cum omni stirpe & cognatione, paucis exceptis, extinxerit. Et sanè hanc dominandi rationem Turcarum Imperator observat, qui ita liberis hominibus Imperat, ut non aliis ferè, quàm fortium servorum consilio & viribus utatur: omnes autem antiquæ stirpis nobilitatem re-

ferentes

ferentes odio prosequatur: cùm eos tanquam imperii æmulos metuat atque suspectet.

Verumenimverò non boni justique principis hæc talia, sed illius sunt, qui vel contra jus fásque regiones alienas occupat: vel ita dominatur, aut dominari cupit, ut nobilißimum quemque, ac virtutis & libertatis amantißimum, id æquo animo laturum non esse, propriæ conscientiæ testimonio convictus, certum & exploratum habeat. A qua dominationis acquirendæ vel stabiliendæ ratione, si non honestatis aspectus, at horrenda conscientiæ carnificina, qua tyrannorum animi sævißimè lancinantur: at exitûs exempla tragici, qui tales plerunque comitatur, arcere meritò debet. Is certè, de quo modò dixi, Cæsar Borgias, non contentus, quòd secundum à Pontifice locum obtinere posset, inter sæva hominũ odia destitutus, quia incolumis aliter esse non potuit, beneficii loco posuit, quòd in arce Pontificiâ sit custodiri jussus, quoad novus Pontifex crearetur: ac tandem in prælio quodam cæsus, nudus Pampelonem Navarræ metropolin, cui vivus Episcopali munere præesse dedignabatur, deportatus ac tumulatus est, ut Sabellicus & Iovius memoriæ prodiderunt.

Equidem, ut ad id, quò mea propriè spectat oratio,

oratio, propius accedam, soleo sæpenumerò cum aliis multis nominibus inclytum Daniæ regnum, tum hac præcipuè causâ beatum prædicare, quòd è vetustissimis Cimbrorum, & qui inde ducunt originem, Germanorum moribus, si ulla natio, Vestra hoc retinet, ut Nobilitatem integram intactámq; custodiat, ex quo ceu seminario prodeunt, qui cum Serenissimis Regibus Vestris in partem curarum veniant: qui Senatum Regni constituant: qui & familiæ splendore, & opibus, & rebus fortiter atq; præclarè gestis, dignitatem Regni Regísq; sustineant. Etenim quantò magis arduū, & Xenophontis verbo in pædiâ Cyri, ὑπερμέγεθες ἔργον, τὸ καλῶς ἄρχειν, plusquam magnum munus est, benè regnare, tantò majoribus ad id præsidiis & adjumentis est opus: cùm, ut inquit prudentiæ magister Tacitus, unius mens tantæ molis capax non sit, nec Princeps suâ scientiâ cuncta complecti possit. Pauca (*inquit iterum Xenophon*) unus vir videat, unus audiat: multi Regis oculi, multæ aures sint oportet. *Unde Vellejus Paterculus*, rarò eminentes viros non magnis adjutoribus ad gubernandam fortunam suam usos *ostensurus, Scipionum exempla producit, qui duobus Læliis, & Imp. Augusti, qui M.*

Agrippâ

Agrippâ & Statilio Tauro, directoribus ad sua negotia sunt usi: sapienterq; apud Liviũ L. Æmili⁹, in Macedoniam, administrandam à se provinciam, iturus, eum, *inquit,* qui de suâ unius sententiâ omnia gerat, superbum judico magis quàm sapientem. *Tales Principalium onerum adjutores si qui ex obscuris tantùm hominibus asciscendos sibi putant, non solùm ipsi dignitatem suam vehementer imminuunt, cùm vilis habeatur ipse, qui viles tantùm sibi admovet:* præcipuúmq; sint, *ut ait Panegyristes,* indicium non magni Principis, magni liberti: *verùm etiam ea patiuntur incommoda, quæ verbis Agrippæ apud Dionem in suasoriâ ad Augustum, quàm meis explicare malo.* Si Rempublicam, *inquit,* non magni pretii hominibus committas, statim & nobilium ac strenuorum iram in te provocabis, ob contemptam eorum fidem: & maximis in rebus damna patieris. Quid enim præclari homo vilis aut ignobilis gerat? quis hostis eum non contemnat? quis socius ei obediat? quis militum non dedignetur sub imperio ejus esse? Quid? quòd hic talis, si rem malè gerat, plus tibi damni, quàm ipsi hostes, dabit: sin rectè aliquid egerit, statim ejus

mens bonarum artium expers, amentiâ & stoliditate complebitur, & ex eo tibi ipsi formidolosus erit. *Quorum omnium incommodorum specimen Georgius Muzalo memorandum dedit, ignobili genere ortus, qui cùm apud Imperatorem Theodorum, principem & gratiæ & autoritatis locum obtineret, despectisq; Proceribus curator Imperii constitueretur, ingentes tragœdias excitavit, copiosè descriptas à Georgio Pachymerio, Byzantinarum rerum scriptore lib. I. qui præclarus autor cum tineis atq; blattis hactenus inerti prælio colluctatus, lucem, uti spero, propediem aspiciet.*

Hoc ergo nomine (dicendum enim id iterum est) meritò beata vestra prædicanda Dania, quòd avitâ Procerum Nobilitate veluti columnâ nititur, quorum virtutem, prudentiam, fortitudinem, fidem, domi forisq;, tam belli quàm pacis tempore spectatam, & memoriæ veteris annales prædicant, & nostra tempora experiuntur. Quibus præclaris Illustrium Majorum Parentúmq; vestigiis Vos etiam, Generosi Iuvenes, insistere, &, quod Seneca facere jubet, grassari ad gloriam viâ virtutis, *omniáq; præsidia illa studiosè conquirere, quibus instructi, possitis aliquando in Regni Procerum*

adlecti numerum, Spartam vestram exornare, si non tam res ipsa loqueretur, quàm à me hoc loco prædicaretur, possem videri vestris id auribus assentandi causâ tribuere, quod & à naturâ, & à consuetudine meâ abest longißimè.

Extat in illâ celeberrimâ Imp. Caroli IV. Chrysobullâ salutare consilium, ita statuens: Vt illustrium Principum Electorum filii & successores, incipiendo à septimo ætatis suæ anno, in Grammaticâ, Italicâ & Slavicâ linguis instruantur, ita ut infra decimumquartum ætatis annũ existant in talibus juxta datam sibi à Deo gratiam eruditi, &c: *Quo loco per Grammaticam, Latinæ linguæ cognitionem intelligi, viri docti tradunt, quâ ante omnia tinctos Electorales filios Imperator voluit. Neq; quisquam miretur, quòd non & de cæteris studiis sublimioribus, putà rerum Sacrarũ, Iuris legúmq;, Historiarum & Antiquitatis, aliquid ibi nominatim præcipiatur: cùm id per se subintelligatur, neq; quisquã è Proceribus tam* ἄμουσος *& aversus ab humanitate fore credatur, nedum Princeps, nedum Elector, ut ista negligat. Quis enim non liberos suos in elementis orthodoxæ fidei pietatísq; studio, quod* Vnum Necessarium *Domi-*

nus ipse pronunciat, statim à teneris imbui rectè curet? Cùm porrò, Ciceronis de sententiâ, Principes constituti sint fruendæ justitiæ causâ: quâ remotâ, *ut ait D. Augustinus,* nil aliud sunt Regna, nisi magna latrocinia: cùm & ipsa latrocinia nil sint nisi parva regna: *quid, quæso, magis competit viro Principi, quàm juris legúmque cognitio? Præterea licet eo loco neque Philologiæ, neque Philosophiæ fiat expreßè mentio: ex ipsâ tamen Grammaticæ notione colligere est, non debere eas Principum studiis intactas manere. Neque enim è sterilibus aridísque præceptis, nec item solis Catonianis distichis, aut Æsopi fabellis, aut epistolis Tullianis, quæ hic requiritur Grammatica, hoc est, utì modò dixi, linguæ Latialis plena cognitio, paratur: sed per omne bonorum autorum utriusque linguæ genus, pérque lætum ac latum Historiarum campum exspatiando, puritatem linguæ pariter cum varietate doctrinæ comparare oportet. Nec item solùm Latinæ linguæ, sed etiam Eloquentiæ studium sub Grammaticæ notione compræhenditur, quam Teutonici generis Regibus semper cordi fuisse constat, qui in Romanis provinciis principatum gesserunt: ut de Theodoricis Gothis prædicat Sidonius, Ennodius,*

Caßiodo-

Caßiodorus; *de Francis Venantius Fortunatus*, *qui nominatim de Chariberto Rege*:

Cùm sis progenitus clarâ de gente Sicambrâ,
Floret in eloquio lingua Latina tuo.
Qualis es in propriâ doctus sermone loquelâ:
Qui nos Romanos vincis in eloquio?

Sic de Carolo Magno Eginhardus: Nec patrio tantùm sermone contentus, sed & peregrinis linguis addiscēdis operam impendit: in quibus Latinam ita didicit, ut æquè illâ ac patriâ linguâ orare sit solitus: Græcam verò meliùs intelligere quàm pronunciare poterat. *De ejusdem filio Ludovico Theganus*: Linguâ Græcâ & Latinâ valdè eruditus: sed Græcam magis intelligere poterat quàm loqui: Latinam verò sicut naturalem æqualiter loqui poterat.

Sed nescio quomodo longiùs abripior. Illud hoc loco dicere, instituti mei est, cùm, ut Electores, Imperii Romani, sic Danicam Nobilitatem Regni sui fulcrum ac veluti basin existimare par sit: quæ de filiis Electorum salutari consilio Chrysobulla Carolina monet, illa non minùs ad Vos etiam, Iuvenes præclari Nobilißimiq;, referenda esse: qui crescenti-

bus annis in abeuntium succenturiati locum, Regni Proceres ac Senatores, qui Cancellarii, qui Proreges evadetis; qui, ut cū Tacito loquar, ita nati estis, ut bona malaq; vestra ad Rempub. pertineant. *Quid verò spectatis, quid agitis aliud, quàm ut artes discatis eas, quibus utrumq; tempus, & armorum, & pacis olim rectè gubernare possitis? Ideoq; non modò Studia bonarū artiū et linguarū, quæ nobis fortunæ tenuioris hominib⁹ argēti, vobis illustrib⁹ auri atq; gemmarum loco sunt, calidè tractatis: verùm etiam in Equestribus & aliis homine Nobili dignis exercitiis ita versamini, ut cunctis appareat, Vos nihil humile cogitare, nihil obscurum aut inane: excelsa petere vestros animos, ampla, illustria, plena dignitatis & gloriæ: quò Vos & aviti spiritus illi, ac hæreditaria majorum generositas incitat: & parentes Vestri, quorum ad Vos curæ cogitationésq; referuntur omnes, assiduè cohortantur: quò deniq; vocant Majorum exempla, quæ non secus ac Miltiadis trophæa Themistoclem, Vos dormire non sinunt: ut qui probè nostis illud Sallustianum:* Gloria majorum posteris quasi lumen est: neq; bona eorum, neq; mala in occulto patitur: *& Ciceronianum istud alterum:* Si quis ab

ineunte

ineunte ætate habet cauſam celebritatis & nominis aut à Parentibus acceptam (*quod Vobis, Nobiliſsimi Domini, contigit*) aut aliquo caſu atq; fortunâ: in hunc oculi omnium coniiciuntur: atq; in eo, quid agat, quemadmodum vivat, inquiritur: & tanquam in clariſſimâ luce verſetur, ita nullum obſcurum poteſt nec dictum ejus eſſe, nec factum. *Quamvis autem nec Academia patria, clariſsimis in omni genere doctrinæ viris instructiſsima, nec cætera ad proprias Nobilitati diſcendas artes præſidia domeſtica deſunt: noluiſtis tamen ad inſtar domiportæ cochleæ, vel regis apicularum, in alveo ſuo vulſis alis concluſi, vel Veronenſis illius apud Claudianum ſenis,*

> Proxima cui nigris Verona remotior Indis,
> Benacúmq; putat littora rubra lacum:

domeſticos perpetuò lares premere μαμμόθρεπτοις; *ſed exteras quoq; nationes inviſere: quòd ſciretis, Prudentiam, quæ, Ariſtotelis teſtimonio, propria imperantium virtus eſt, acquiri peregrinando: Vlyſsis illius exemplo, cujus cautã prudentémq;* πολυτροπίαν *hinc maximè Homeri nobile carmen aſſeruit, quia* πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω, *hoc eſt, interprete Horatio,*

Horatio, mores hominum multorum vidit & urbes. *Et Strabo prudentissimos, apud veteres, heroas existimatos fuisse scribit illos, qui varias & longinquas peregrinationes suscepissent. Cui Cassiodorus calculum adiicit, dum cõmemorato, quod dixi, Vlyssis exemplo, subiicit*, illos prudentiores semper habitos, qui multorum hominum conversationibus probantur eruditi. *Imò testis his omnibus locupletior, sapientissimus Iesus Syrach, cùm ea, quæ ad sapientiam comparandam pertinent, exponit, Peregrinationem non in postremis adjungit* : in terram , *inquiens*, alienigenarum gentium pertransiet. Bona enim & mala in omnibus tentabit. *Plato quidem in suâ Repub. arcet à peregrinando juvenes, quia vix apti, novisse & eligere quæ prosint: at senes non abire solùm peregrè, sed mitti quoque volebat, relaturos, si quid boni moris aut exempli uspiam esset. Verùm huic quoque rei prospectum à Vestris est, dum Vobis & peregrinationis moderatores, & morum studiorúmque gubernatores præfecerunt Viros omnijugâ eruditione, virtute, rerum usu præstantissimos clarissimósque, quos honoris causâ nomino*, Dn. IACOBVM IACOBI, & Dn. M. TORBERNVM IACOBI, HASE-

HASEBARDOS, fratres: Dn. OLAVM IOHANNIS SLANGENDORPHIVM: Dn. IACOBVM IOHANNIS SPERLINGIVM: Dn. SEVERINVM PETRI Hegelund: Dn. OTHONEM GEORGII MVSAENIVM: Dn. CHRISTIANVM CHRISTIANI LONGOLANDINVM: Dn. CHRISTIANVM STRALE, *amicos & fautores meos officiosè colendos: qui, quod ætati Vestræ deesse queat, consiliis sapientissimis sarciunt: qui suis Vos monitis & exemplis ad laudem quotidiè vocant: qui suas curas omnes in Vestrâ procurandâ salute defigunt. Sed & illud sapienter à Peregrinationis Vestræ prospectum directoribus est: quòd, cùm omnis scientiæ prudentiæq; caput Religio sit, ad reformatas potissimùm Academias, tanquam emporia mercium incorruptarum, Vos ablegandos esse duxerunt. Et quidem in celeberrimâ Giessenâ primò quantâ virtutis, industriæ, moderationis laude vixeritis, publica famæ vox obscurum esse non sinit. Ex eâ postmodum digressi, nostram Urbem studiorum & nobilium exercitiorum sedem atq; magistram legistis: in quâ sic versamini, ut de tam præclaris civibus Academia plurimùm sibi gratuletur, quam tãtâ & tam*

honorificâ frequentiâ condecorare ac illustrare placuit. Et ego quidem, qui pars Academiæ quantulacunque sum, causæ nihil habui, cur ab istâ publicâ omnium congratulatione meum affectum unus sejungerem: quin potiùs, ut publicum hujus affectûs mei monumentum extaret, allaborandum duxi. Cùm ergo tulisset casus, ut hoc tempore mea de Idolo Lauretano dissertatiuncula, hortatu amicorum esset in publicum proferenda; peropportuna ad id, quod volebam, visa res est. Nam hunc librum si cum Vestri nominis inscriptione publicarem, putavi me facere quiddam, quod utrique nostrum æquè conveniret: Vobis, quos Peregrinationis cursus aliquando Lauretum fortè deducet, ubi scripto hoc edoctis, calidam istam, at non callidam imposturam spectare jucundum erit: mihi, quia, cùm hìc liber plurium versabitur inter manus, circumferet, id quod ego cupio, Vestrum nomen: & meum, adeóque nostræ Academiæ de Vobis judiciũ pluribus ostendet.

Accedit ad hanc alia quoque προσφωνήσεως *meæ causa. Videtis ipsi, Generosi Ornatissimique Iuvenes, & coràm experimini, quo cum hominum genere res mihi sit: quàm salsuginosa maláque nos vicinia circumstet. Haud abre Psaltes ille regius*

publicis

publicis Ecclesiæ calamitatibus opprobria vicinorum *annumeravit &* sannas (*psal.* 43, 14. 78, 4. 88, 42.) *Atqui tales experiri cogimur, à vicinis Episcopalis Academiæ nuper exortæ Patribus* (*ut gaudent appellari*) *Iesuitis, innoxiam quietem nostram procacissimè lacessentibus: quorum etiam importunitas hoc mihi scriptum expressit. Neque verò hic solùm stat pestilentissimæ sectæ tabes: sed etjam reliquæ Germaniæ partem non exiguam occupavit, quæ suis ipsa quasi delectata vinculis, hosce Socios, tanquam serpentes admissos in sinum suum, in viscera sua, usque & usque fovet: &, o rem indignã! æquis oculis intueri potest, hos hypocriticâ paupertatis specie larvatos* (*Nam à Pio V. Papa inter Mendicantium ordines referuntur, teste Ribaden. lib. 3. de vitâ Lojol. cap. 23.*) *non modò, quocunque venerint, rei faciendæ operam strenuè mox dare: insanas substructionum moles excitare: & Regibus ipsis invidendas opum gazas, non quæro jam quibus artibus, accumulare: quæ quidem damna præ alijs levia sunt: verùm insuper alienum dominatum actis variè cuniculis provehere: tyrannidem Pontificis, Imperii expilati spolia, & implumis Aquilæ exuvias ostentantis, cùm defendere, tum*

omnibus modis promovere: clementissimos alioqui Principes impellere, ut quasi de naturâ suâ exeuntes, in gratiam novorum ex Hispaniâ hospitum, homines Germanos patriis & avitis sedibus, prætextu religionis exturbent: deniq; seditione, cæde, sanguine miscere omnia. Cùm autem unicuiq; fælicitatis suæ cum alienâ collatæ miseriâ jucundior esse contemplatio soleat: & hoc genus libros legentibus, & coràm Germaniæ statum intuentibus vobis in mentem, credo, veniet (id quod ego quidem ex animo facio) gratulari sorti vestræ: quòd liceat in istis degere locis, ubi hæc monstra neq; cernere neq; audire est. Quæ quidem fælicitas tantò conspectior evadit, quòd inclytum Daniæ Regnum in universum idolomaniæ Pontificiæ fermento purgatùm, & quidem inter primas Europæ provincias repertum fuit, quod radios Evangelicæ veritatis admitteret. Nam cùm eo tempore, quo Leo X. Papa per Tecelium in Germaniâ, Angelum Arcomboldum in Daniâ, turpissimos Indulgentiarum institores, fædissimo mercatu cœlum Deúmq; venalem proposuit, Lutherus, divinitus excitatus ille Megalander, imposturas istas primùm increpuisset, Pontificisq; difflâsset verè BULLAS, etsi visus est contra

torren-

torrentem niti, & , quod est in proverbio, κεκραγέναι πρὸς ἄνεμον: *unde etiam Albertus Krantzius, scriptâ Vestræ Gentis & vicinarum Historiâ clarus, ad eum dixisse fertur:* Frater, vade in cellam, & dic: Miserere mei Deus: *subitò tamen mira animorum immutatio totam Europam occupavit, omnibus, & inter primos, uti dixi, Danis, tanquã ad sublatum signum oculos attollentibus, ac desideratam ab optimo quoq; tot sæculis emendationem Ecclesiæ, in obvias ulnas admittentibus. Id si non absq; motu contigit, quid mirum? siquidem ea morbi vis fuit, ut vehementi quadam medicinâ opus fuerit Ecclesiæ.* Levibus pharmacis nihil agitur: sed illud est remediorum efficacium, ut primùm corpus omne concutiant: *quod à Daniæ Rege Christierno sibi dictum esse, cùm esset hac ipsâ de re sermo, testatur in epistolis Erasmus. In quibus omnibus difficultatibus constanti pietate piâque constantiâ superandis Serenissimorum Regum Vestrorum, Christierni II. Friderici I. Christiani III. Friderici II. & sequentium industria sic eminuit, ut hodieq; Regnum Daniæ, si quod aliud, religionis puritate ad summam fælicitatem usq; floreat: cùm è Germanis ac cæteris orbis Christiani*

populis alii propriâ quadam voluntate inducti, ostensis doctrinæ repurgatæ frugibus, glandes religionis impuratæ præferant, Gryllo non absimiles, qui è sue rursus homo fieri noluit: alii per vim atque terrorem Antichristiani regni jugum adhuc ferre cogantur. Hac ergo de fœlicitate patriâ, quæ fœlicitatum omnium apex est, hoc scripto publicè gratulandum Vobis esse duxi.

Quia porro Regnum vestrum inclytum in Iubilæo seu festo sæculari, pro sanctâ memoriâ restitutæ doctrinæ verè Evangelicæ, magnâ cum devotione solennitatéque celebrando suas etiam partes aliquas esse voluit: & verò scriptum hoc ad defensionem Evangelici Iubilæi quodammodo comparatum est; existimavi, id eo quoque nomine non ingratum Vobis esse futurum.

Cæterùm præter hasce publicas, etiam privatæ imperant impetrántque causæ, ut Vobis hoc quicquid est offeram, &, quæ antiqua votorum formula est, libens meritò donem dedicémque: scilicet ut non solùm hujus obscuræ per se lucubratiunculæ frons splẽdore Vestri nominis illustretur ac honestetur, cujus splendoris fiduciâ audeo eam facere publicæ lucis: verùm etiam ut ad aram Memoriæ suspendam

non

non omninò quale velim, sed quale possum in hoc tempore monumentum illius consuetudinis, quæ mihi Vobiscum nonnullis, cùm aliâs, tum eo præcipuè tempore intercessit, quo D. STHENONEM *& D.* VINCENTIVM BILLE, *fratres, illustre Nobilissimorum Iuvenum par, virtutum ac modestiæ verum exemplar, & haud dubium Daniæ ornamentum, unâ cum eorum Præfecto, clarissimo virtute doctrinâq; viro, Dn.* SEVERINO GRÖNBECCIO, *qui nunc Gallias lustrant, Convictores habui charissimos jucundissimósq;: quibus postea sese conjunxit D.* IACOBVS KRABBE, *p. m. & ipse Danus Eques, cujus non sine magno doloris & acerbitatis sensu meminisse possum, digni meliore fato Iuvenis, & ad magna nati, nisi eum dura mors in flore, tanquam segetem in spicâ occupâsset. Hujus Præfectus D.* GEORGIVS IACOBI GRAVIVS, *vir litteratissimus & præstantissimus, amicus meus honorandus, in luctu & squalore mecum adhuc habitat, charum suum depositum ingenti, sed inani, desiderio requirens.*

Suscipite igitur, Nobilissimi Ornatissimiq; Domini, serenâ fronte hoc munusculum,

lum, tesseram meæ in Vos totámq; Nationem Danicam observantiæ: idq; non suo pretio, quod sanè quàm exiguum, sed animo affectúq; offerentis æstimate: & me solitâ porrò benevolentiâ complectimini: Ita Vos servet Deus, ut olim illustria Daniæ Vestræ sidera, Majorum clarissimorum gloriam non æquare modò, verùm etjam superare queatis. PP. Argentorati, Calendis Martii, Anno epochæ Christianorum M. DC. XIX.

Generosæ Nobilitati ac Virtuti
Vestræ devotissimus,

MATTHIAS BERNEGGERUS.

Ad Lectorem benevolum præfatio.

NOn te fallam, amice Lector. Quod factum hîc tibi probare conabor, ipse vehementer improbo.

Annus est, quod non nescis, & eo amplius, cùm ob restitutam divinitus ante hos centum annos Evangelij lucem, quotquot eam amplexæ sunt Ecclesiæ, patri luminum æterno Iubilæâ festivitate solennes gratias egerunt: quòd putarent, & ad pietatem, & ad posteritatis memoriam id ut facerent, interesse. Quàm autem hoc pium opus & Deo & bonis omnibus placuerit, vel illud argumento est, quod & patri tenebrarum Satanæ, & malis omnibus mirum in modum displicuit. Nam interpres Satanæ malorúmq; Petrus Ræstius, Molsheimensis è Lojoliticâ fæce Monachus, id admodum virulento, & verè Loioltici Genij ingeniíq; scripto, quod pseudojubilæum appellat, impetendum sibi statuit, vel ut, quemadmodum Herostratus incenso Dianæ templo, sic ipse oppugnato tam præclaro omnium reformatæ religionis Imperij Statuum, tot Principum, Electorum, atq; etiam Regum instituto, homo obscurus inclaresceret: vel ut Archiducali seu mavis Episcopali, Academiæ suæ νεοβλάςῳ famam conciliaret, quam in novis cæptis validissimam esse Tacitus alicubi scribit. An verò impulsus est, ut id faceret, ab eo, qui dixit. Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum? aut, ut Bileam conductus, exercitui viventis Dei maledicere? Nam id quidem eximiè præstitit, dum æstu torrentis animi raptus, contra Veritatem disputat, si nō tenuiter subtilitérq; pro erroribus Papismi sanè crassis & stupidis: at acriter & animosè: quin Goliathicâ quadam audaciâ provocat ultrò: & ut victor superbus insultat: quasiq; triumphatâ jam veritate, mendacio trophæum erigit, sed in arenâ.

Forsan Ræstius, Magistratum, Prædicantes, Academicos, populósq; Lutheranos procaciter adeò lacessens, amuletum quoddam habet, cujus fiduciâ se dedit in pugnam: aut certè pileatus natus est

d

(quod maximè Gallis est in proverbio, Il est né coeffé*) vel à sagâ tali phylacterio instructus, ut Protus ille clericus, qui à muliere quadam curiosarum artium gnarâ (proculdubio tali, qualis fuit ea, quæ Pseudo-Mariæ Vallensi testimonium præbuit, infrà pag. 109.) accepit ejusmodi pileum,* (ἔνδυμα νεογενοῦς παιδὸς) *quæ hanc illi vim inesse affirmaverat, ut omniũ ora, qui adversùs gestantẽ dicere parati essent, obturaret* (εἰς ἀπότροπον καὶ ἐπιστομισμὸν τῶν ἐπιχειρούντων κατ᾽ αὐτοῦ λέγειν) *id quod à Balsamone in commentarijs super canones traditur. An pileo Iesuitico quadricornuto vim illã inesse putat?*

Neq; verò sat habuit Ræstius, generaliter omnes, quos vocat, Lutheranos impetere: sed etiam in Titium, in Sejum protervus incurrit: & potissimùm Argentoratenses Professores atq; Pastores propositum sibi scopum habuit, in quem ejacularetur convitiorum & mendaciorum ista tela: à quibus tamen ut unquam provocatus aut læsus fuerit, tantum abest, ut Chimærane, vel Tragelaphus, vel cujus omninò coloris esset Ræstius, nemo quisquam nostrum quicquam omninò sciverit. At Iesuitarum, inquis, in Iubilæo nostro mentionem fecimus non honorificam. Rectè: sed Molsheimenses Iesuitas ne verbo quidem tetigimus. Creparunt & ipsi in suis Encænijs nil nisi Hæreticos, ut solent: nec ita fuimus obesæ naris, ut, ad quos pertineat hoc maledictum, non animadverterimus: & tacuimus tamen. Quin addiderunt, Alsatiæ hactenus usq; ad Molsheimensis exortum, Academiam defuisse: tacuimus etiam hoc, & agnovimus Lojoliticum supercilium: etsi ad injuriam id nostram spectare nemo nesciebat. Atq; adeò semper enixè dedimus operam, ne, ut sunt, verbo Taciti, solita inter accolas odia*, odij & rixarum causam atq; principium nobis quisquam imputare meritò posset. Vt autem nostras Conciones orationésq; Iubilæas ad exemplum plerarumq; repurgatæ religionis Academiarum evulgaremus id quidem per Molsheimensis oppidi Neo-Academicos licere nobis arbitrati sumus. Quid enim? an Argentoratum Molshemio: Vrbs Imperij clarissima, obscuro Alsatiæ oppido: Academia* χθὲς καὶ πρώην

exorta,

exortæ, Academia non illa quidem è vetústis una, sed Molsheimensi
certè multò antiquior, fasces submittet? an ipsis Vrbis mœnibus no-
stra scripta, adeóq; dentium septo linguas circumscribamus necesse
erit, si vicinis Iesuitis amicis & pacatis uti volumus? *Non feci-*
mus: non facimus: non faciemus.

Cùm porrò in orationibus quas dixi, Iubilæis Academiæ nostræ,
meas etiam aliquas esse partes ij voluerint, quorum autoritatem a-
spernari religio fuit: ut primùm de pseudoiubilæo Ræstiano ad nos
allatū est, non habui dubitare, quin ego quoq; nominatim in eo per-
stringerer: eò quòd mihi quædam viderer ingenuè magis dixisse,
quàm tenellæ Iesuitarum aures pati possent. *Nec sanè, qui pars*
Iubilæi fueram, pars pseudojubilæi esse valdè metuebam: ac penè cu-
piebam etiam: quòd existimarem cum Seneca, argumentum recti,
& quoddam honoris genus esse, malis, *& malorū eximijs Iesuitis,*
displicere. *Verùm voluto revolutóq; libro dum multa de meis Col*
legis, de me nihil invenio, statim in mentem venit cogitare, Iesuitas
vel indignum judicâsse, cujus nomen usurparent: est *autem, ut in-*
quit Seneca, contumeliosissimum ultionis genus, non esse vi-
sum dignum, ex quo peteretur ultio: *vel certè silentio suo in su-*
spicionem & invidiam apud meos adducere me voluisse, non secus
ac apud Tacitum Cerialis insulam Batavorum hostiliter popu-
latus, agros villásq; Civilis intactos, notâ arte ducum, sinebat.
Itaq; veluti delapsam in alienos agros grandinem non solùm tutò,
sed etiam securè spectavi. *Quid fit autem? Cùm vix detonuisset,*
ecce post grandinem imber venit, cujus guttulæ quædā ad me quoq;
pertinebant. *Guttulæ autem?* *Imò cùm alios illa pluvia leviùs*
aspersisset, me sic irrigavit, utì totus permaduerim. *Nam aliorum*
quædam pauca carptim vellicavit: me verò totum è calumnijs men-
daciísq; consutum dixit Anonymus, quisquis is est, qui prolatum è
Molsheimensi Lojolitico-sathanicâ mendaciorum officinâ Ignita-
bulum, *in proximis Nundinis Argentoratensibus venum expo-*
suit; quémq; propterea Pyriopolam *seu* Ignitabularium *appella-*

re libet. Autor malè profectò de Societate Lojoliticâ meritus, cujus insignem stultitiam, ac incredibilem impudentiam, in isto Mercatu, tanquam in publico Germaniæ theatro fuit apricatus. Cùm enim præsenti statim pecuniâ numeratum, & ex tempore à viro docto solidissimè satisfactum ipsi esset; dici non potest, quantâ cum aviditate mercatores utrumq; scriptum, illud malæ Iesuitarum, hoc bonæ nostræ causæ testem exceperint, & postea per omnes Germaniæ oras longè latéq; disseminârint.

Cæterùm, ut, quæ in illo συρφετώδει Pyriopolæ libello ad me propriè pertinent, refellerem, erat in animo, meam orationẽ Iubilæam, quam ille ex mendaciis calumniisq; consarcinatam dixerat, integram retexere, & quæ generatim de fraudibus atq; tyrannide regni Pontificii dixeram, speciali exemplorum inductione, depromptorum ex ipsis Pontificiorum scriptis, ad liquidum perducere. Nec id præstare difficile fuisset, nisi & otii inopia, quo Iesuitæ abundant; & curæ domesticæ, quas illi nullas experiuntur: & verò angustia temporis à nostris ad Francofurtanas nundinas interjecti cohibuisset. Ne nihil tamen responderem, libuit ex infinito illo latifundio Papisticarũ fraudiũ unã, velut in antecessum dare LAVRETANAM, putidissimam, sed valdè lucrosam Ordini sacro, fabulam, magnis autoribus asseveratam, atq; adeò Summorum Pontificum, Benedicti XII. Bonifacii IX. Martini V. Nicolai V. Xysti IV. Pauli II. Iulii II. Leonis X. Clementis VII. Pauli III. Iulii III. Gregorii XIII. Clementis VIII. & fortassis etiam hodierni Pauli V. (nisi desiit antecessorum more decipere) Bullis confirmatam: imò ut Baronius Cardinalis aliiq; Iesuitæ scribũt, Orbi Catholico toti creditam: ut non habeant Iesuitæ ad illud suum κρησφύγετον confugere (in quod Ræstius etiam se abdidit cap. 16. pseudojub. artic. 27.) eam universalis Ecclesiæ auctoritate non fuisse receptam. Hanc, ad veritatis historicæ stateram sic appendisse me credo, ut, concurrant licet in unum & capita conferant omnes Lojolæ discipuli: ipsum, si volent, Diabolum (rem futuram non novam)

vam!) in consilium adhibeant, nunquam tamen tutæ mentis homi-
nibus, eam esse non-fabulam sint persuasuri: unde quid de sui Pon-
tificis ἀναμαρτησία *quam mordicus adeò propugnant, futurum sit,*
ipsi viderint. Habeant ergo sibi Iesuitæ Molsheimenses hanc Lau-
retanam, & ex eâ tanquam specimine judicium faciant, mihi ora-
tionis meæ, quam de Pontificij Regni fraudibus in Iubilæo nostro
habui, luculentis exemplis firmandæ facultatem haud quaquam de-
esse. Ita dico, Iesuitæ. Nam ut ad Pyriopolam hæc dirigerem, non
placuit: vel quia nullius coloris hominem novi: id unum novi, cum
Iesuitis Molsheimensibus cũ agere: vel quia partis posterioris, Igni-
tabuli, in qua ego me sensi perstrictum, ipse quidem certè, si modò
quid judicare possum, ut reliqua sunt, autor non est: sed aliquis ipsi
Iesuita sedit ad arculas, ut ista suggereret atq; dictaret: qui Iesuita
sub nomine Pyriopolæ non magis latere potest, quã Asinus ille in A-
pologo, qui capite in vepreta immisso, reliquum corpus benè latere
putabat. Præterea, quia Ræstij eorum Socij crebra per occasionem
hic facta mentio, ad se quoq; librum pertinere judicabunt: quem si
publico scripto confutare volent, non impediam, paratus, totâ vo-
luntate dare manus, & herbam ijs porrigere, ubi non futilibus ar-
gumentis aliud me docuerint, & libri mei vestigia κατὰ πόδα *se-*
cuti (quod ego in Turriano feci) ad singula argumenta, distinctè,
candidè, verè responderint. Sin, quod futurum quodammodo præ-
video, desultoriâ quadam levitate, veluti canes è Nilo, aut ra-
porum agro porci, vellicatim hinc inde aliqua excerpserint, quod
egregiè Ræstius in suo pseudojubilæo fecit: jam antè denuncio.
mihi cum tam improbis Sophistis nihil esse negotij futurum.

Vt autem hæc mea qualiacunq; publicarem, causa non una
pepulit. Quam enim vel patientissimam oviculam protervi
Iesuitæ longo isto conviciorum in omnes orthodoxos, ac nostræ
cumprimis civitatis Theologos & Academicos jactorum car-
mine non excitent? Mussitemus hæc? Atqui silentium
nostrum in consensum, Modestia in conscientiam ducitur.

ut inquit, Marius ille Sallustianus. Et nos vulgò Lojolitica secta, orthodoxorum abuti silentio patientiâq; suum ad decus. Tacere nostrum, his jacêre est: & victi convictiq; illicò pronunciamur, qui nec icti. Adhæc pudentis animi est, & ad virtutem veram facti, falsâ etiam & iniquâ vituperatione gravari: & omnibus bonis tutela existimationis suæ pretium grande. Quid? quòd experimentis nimiùm multis edocemur, Iesuitas non fieri meliores ferendo: sed magis exasperari? Cùm Ræstius Iesuita gladiatorio in nos animo prorupisset, pacis & concordiæ quantæcunq; studio, contentionum odio, freti causæ bonitate liquidâ & manifestißimâ, partim etiam scurram istum, improbitatis, mendacij, levitatis tam manifestum, responsione nostrâ dedignati, & utilioribus magisq; necessarijs occupati, dissimulavimus injuriam: sed quid nisi novam provocavimus? Nam quasi ex proposito nostram Iesuitæ ἀναισθησίαν extimulaturi, Pyriopolam submiserunt. Nimirum ut Crocodilus, terribilis contra fugaces bellua est, fugax contra insequentes, autore Plinio: sic isti Loiolitici crocodili cedentibus superbè instare ac insultare solent, ijsq; crescit (verba Livij sunt) ex metu alieno, vel saltem specie metûs, audacia.

His rationibus si persuadere tibi, Lector amice, potero, ut meum hocce scriptũ anti-Lojoliticũ in bonam partẽ accipias, magno equidem beneficio me putabo affectum: idq; tuæ potiùs benevolentiæ tribuam, quàm adscribam judicio; cujus in me severitatem expedire si voles, vix habeo quo me tuear: eóq; valdè velim, quod initiò statim ultrò sum professus, hoc factum infectum, si pote, reddi: & nisi opera jam sumpta, prælóq; typographico ad umbilicum perducta esset, quiescerem: non sanè quòd causæ bonitati diffidam; sed qui facilè perspiciam, quibus cum adversarijs me incluserim in campum. Nunquam syncerè sententiam adversariorum Iesuitæ producunt, sed deflexam in odium, ac de sensu autoris exeuntem: cujusmodi exemplis totum Ræstij pseudojubilæum

læum

læum ſcatet. Omnis eorum induſtria intra contortulas captiones atq; ſophiſmata ſtat, à quibus pedem non efferunt: & cùm parum curſu valeant, flexu eludunt: ita ut nunquàm ipſis ſatisfaciamus, etiam cùm maximè ſatisfacimus. Effundunt ſe poſtea in convitia, & in ſuum illum campum: ſolido dentes non illidunt: in carpendâ ſolùm & vellicandâ pelle impetum omnem effundunt. Quod ad jacta in nos maledicta attinet, ſcimus ex Senecâ: AEquo animo audienda eſſe malorum convitia, & ad honeſta vadenti contemnendum eſſe iſtum contemptũ:

Allatrent licet uſq; nos & uſq;,
Et gannitibus improbis laceſſant.

Plautinum etiam illud non ignoramus: Bacchæ bacchanti ſi velis adverſarier, ex inſanâ inſaniorem facies: feriet ſæpius. Si obſequare, unâ te ſolvas plagâ:

Adhæc in iſto Papiſtico Augiæ ſtabulo purgando, jam alij Hercules deſudârunt, nec opus auxilio meo: malimq; ſanè neceſſariis meis ſtudiis invigilare, quàm hoc ſtercus eruere infami operâ. πρωκτὸς λουτρῷ περιγίνεται. *Nec profectò me parum angit judicium poſteritatis, ſi qua leget hoc ſcriptum, miraturæ non ſolùm ſimplicitatem hominum, qui Lauretanum illud è portâ eburneâ ſomnium unquam credere potuerunt: & Ieſuitarum impudentiam, qui publicè defendere: ſed meam quoq; penè dixero ſtultitiam, qui refutare. Verùm jacta eſt alea: cujus mei facti rationem quibus probavero, ab ijs, credo, non difficulter illud etiam impetrabo, ne vitio vertant, ſicubi, quod objecit mihi Pyriopola, viſus fuero Ieſuitarum*

—— teneras nimium *MORDACI* radere *VERO*
Auriculas. ——————

Quod ſi enim Eliam nemo improbat, qui immedicabili ſacerdotum Baaliticorum gangrænæ hoc veluti cauterium adhibuit, ut eos coram populo, mordaci riſu traduceret (3. Reg. 18. verſ. 27.) quis æquus judex me repræhendat, quòd ſimiliter Ieſuitas interdum im-

mixtis

mixtis salibus ludificor ac rideo qui omnes derident, & intolerabili supercilio præ se contemnunt, seriâ gravique admonitione inemendabiles futuros. Quanquam id præstare possum, hîc quidem certè abfuisse verborum acerbitatē, & intemperantiam linguæ: joci interdū & est ubi asperiora quædam verba fuerunt. Quid indignentur Iesuitæ, ipsi hujus choreæ præsultores? quos funē ducentes secuti sumus impari gradu, & valdè substitimus intra exemplū. Ræstius cap. 2. pseudojub. artic. 8. cùm in D. Mejerum nostrum (sus in Minervam, Asinus Cumanus in Leonem, scurra in Catonē) invehitur, quòd scripsisset, nostros dies festos sæculares sub Iubilæi vulgari nomine *indictos esse: quia scilicet nō Latinâ linguâ, vel classicorū autorū testimonio, sed ex vulgi usu (aut, si mavis, ex Latinitate clericali, quæ ipsissima barbaries: ut Clerici ipsissimū barbarū vulgus) sæculares dies festi (tā Papales, quàm Lutherani) sub Iubilæi appellatione usurpantur: nec ex V. T. jubilæis quicquā præter nomen participant: Deus bone, quā paratragœdiat!* An hoc non est, *inquit,* fraude, dolo & ludo impio circumvenire? *Quasi verò, qui cum vulgo loquens, cum doctis ex Aristot. præcepto sentiendum esse monet, alios decipiat: quasi, cùm de re constat, de vocabulo sit magnoperè laborandū. Quod si ergo Ræstius ob rem adeò leviculā, &* verbalem, *si qua esset (est autem hîc nulla) fraudē tanto verborū ὄγκῳ insurgit: quidni nobis liceat, hanc Lauretanam* realē *fraudē, infinitorum locutorum expurgatricem, seductricem animarum, & idololatriæ propagatricē, acrioribus aliquantò verbis perstringere? Maximè cùm & experientia quotidiana comprobet, & monuerit jam olim apud Dionem Agrippa, magni Principis Augusti magnus consiliarius:* Malos inconvenienter honore affectos, deteriores fieri: & vel laudari se, tanquam bonos, vel tanquam formidabiles demulceri putare: *imò docuerit longè antè per Regū sapientissimum (proverb. 25, 20.) Spiritus Sanctus:* non esse cantanda carmina, *(h. e. non blandiendum)* cordi pessimo. *Plura scripturientem charta deficit: & urget typographus: forsan ex tuo voto, Lector. Est enim odiosa Circensibus pompa.*

IN HY-

IN HYPOBOLIMAEAM DEIPARAE MARIAE CAmeram, seu Idolum Lauretanum, præfatio.

EA sacrosanctæ Theologiæ majestas est atq; dignitas, ut omnes reliquæ scientiæ ipsi veluti Reginæ ac Dominæ suæ ancillari necesse habeant. Vt enim *unus est regnator omnium Deus*: ita Dei contemplatricem scientiam, cæterarum quoq; regnatricem existimare par est. Quemadmodum autem administri alii aliis utiliorem digniorémq; suo Principi navant operam: ita quoq; subservientes Theologiæ scientias, alias & rariùs & leviùs in consilium adhiberi: alias arctiore quodam vinculo huic suæ Dominæ conjunctas, & interioris, ut ita dicam, admissionis esse depræhendas. Cui posteriori, eidémq; nobiliori numero, si Historiam, præsertim Ecclesiasticam, aggregavero; nisi fallor, haud absurdè fecero. Argumento vel illud esse potest, quod indeusq; à primis Ecclesiæ Christianæ temporibus per singularum ætatum decursum, quale Theologia, tale item Historia fatum semper est experta: simul & stare & labascere (non enim cadere dicam) incrementum ac decrementum utraq; simul accipere deprænhensa fuit.

Nam primò quidem, in Ecclesiæ infantia, quæ ferè primis tribus à nato Christo sæculis circumscribitur, ac tempus innocentiæ dici potest, ut homines Christiani magis in praxi

veræ pietatis, quàm excolendâ magnoperè Theologicæ scientiæ Theoriâ fuerunt occupati, & *Optimus quisq;* (liceat huc trahere Sallustii verba) *facere quàm dicere maluit:* sic etiam illis temporibus defuerunt, qui ad ornandam Ecclesiasticæ Historiæ Spartam seriò sese accingerent. Quippe acta Martyrum, eo tempore vulgari solita, non Historia Ecclesiæ, sed pars duntaxat illius existimanda sunt.

Deinde verò sæculis tribus sequentibus, cùm Ecclesia discussis præteritorum malorum nebulis, ac stupendâ constantiâ superatis immanibus hostium fidei persecutionibus, in libertatem vindicata, & piorum Imperatorum benignitate, veluti liquidiore cœlo evocata, rebus omnibus efflorescerct, uti Theologica studia per Athanasios, Hilarios, Basilios, Gregorios, Ambrosios, Hieronymos, Chrysostomos, Augustinos, Cyrillos, & similia lumina, mirificè fuerunt illustrata: sic etjam Ecclesiastica Historia id ævi sese commovere visa est; cùm antea ferè penitus ignoraretur. Et quidem primus Eusebius Cæsariensis, sub ætatem Constantini Magni, ad universalem Ecclesiæ scribendam Historiam animum appulit: ac orsus à nativitate Domini, rerum gestarum seriem adusq; sua tempora, singulari diligentiâ pertexuit: quem postea secuti sunt Sozomenus, Theodoretus, Socrates, Evagrius, alii.

Post sæculum deniq; sextum quàm sit paulatim in deterius & Theologia & Historia prolapsa, nemo veteris memoriæ vel mediocriter peritus ignorare potest. Vt enim Theologiæ sinceritas sordidis humanarum opinionum fecibus, & pudendis priscæ gentilitatis imitamentis mirificè fœdata fuit: sic historica quoq; monumenta, magnâ mentiendi & ineptiendi libidine, tamquam tabe, correpta corruptaq; fuerunt. Ibi miracula vel à Sanctis, vel ab imaginibus, vel à reliquiis edita, utramq; paginam utplurimùm conficiebant: nec quisquam

quam

quam ægrotus quicquam adeò ridiculum somniabat, quod illi fabularum hamaxarii ad stabiliendas superstitiones, & emungendos argento loculos excogitatum, pro vero venditare, & scriptis mandare non auderent, magnâ judicii posteritatis securitate.

Inter illas autem fabulas, quibus per aliquam multa sæcula miserorum credulitati miserè fuit illusum ab illis, *quibus*, ut cum Livio loquar, *quæstui sunt capti superstitione animi*, si non principem, certè non remotum à principe locum illa tenet, quam de LAURETANO CUBICULO commenti fuerunt: illo, inquam, cubiculo, in quo, si credere fas est, beata Maria θεοτόκος & nata, & educata, ab Angelo salutata, à beato Lucâ depicta fuit: quódq; Nazarethi per annorum plus mille decursum incolume, suis deniq; fundamentis avulsum, tenues per auras térq; quatérq; bajulatum, eo Italiæ loco consedit; ubi nunc tanto confluentium ex orbe pontificio salutantiúmq; studio inclaruit, ut sese facilè ψευδοπαρθένος illa Lauretana Dianæ Ephesinæ adæquâsse credatur.

Hoc idolum annis abhinc sexaginta, vel quod excurrit, PETRUS PAULUS VERGERIUS, quondam Iustinopolitanus Episcopus, ac Pontificius in Germaniam Legatus, agnito postmodum errore noster factus, edito doctissimo libello sic arietavit atq; concussit; ut in animis eorum, qui non planè, verbo Platonico, κεράσβολοι, oculos ad veritatis lucem occludunt, funditus penitúsq; collapsum fuerit.

Cæterùm pluribus annis post editum Vergerii librum, cùm alios veri conscientia & pudor arcuisset à contradicendo, tandem exortus est aliquis, qui Lauretanam illam domum, non dico fulcire proximam casui; sed omninò dejectam, & veritatis ἀνανταγωνίστῳ fulmine præstratam, iterum excitare, ac in pristinam altitudinem erigere, ausu plusquam

Herculeo, sed, ita me Deus amet, inanissimo moliretur. Ecquis autem Hercules ille? Quis enim alius, quàm eorum oriundus è secta, qui dudum verecundiæ fines (Mundo teste hoc dico) transgressi, gnaviter impudentes esse pergunt: & frontem triplici ære vallati, omnem turpitudinis infamiam audaciæ magnitudine atq; perseverantiâ discutiunt: qua freti, quævis etiam (sit venia verbo) Papæ stercora condire, ut amaracinum oleant; & quemvis è sepulchro lapidem, ut est in proverbio, pro Deo nobis adorandum obtrudere satagunt? FRANCISCUS, inquam, TURRIANUS, Iesuiticæ, seu mavis Lojoliticæ, sectæ monachus: cujus eo de figmento adversarius Vergerio liber, sive libellus, sex septem quaternionum, Ingolstadii prodiit, ex officinâ typographicâ Davidis Sartorii, Anno Domini 1584.

Quamquam hoc Turriani factum, non est quod valdè miremur, cujus ἀκρισίαν pari junctam cum impudentiâ dudum viri docti notârunt ac produxerunt. Cæsarem verò Baronium, Cardinalem illustrissimum, Annales scribere professum, primam annalium legem, *ne quid falsi audeat*, hîc quidem insuper habuisse, ac luculentissimum opus suũ importuno tam inepti commenti patrocinio commaculare veritum haud esse: nec illud eâdem, qua fictitium & stolidum Constantinianæ Donationis Instrumentum, παῤῥησίᾳ damnare, vel sicco saltem pede, præsertim tam alieno loco (ad initium anni à nato Christo noni) præterire voluisse, summoperè mirandum est. Placet illum Baronii locum integrum huc transscribere: quia nec longus est: & in sequenti dissertatione sæpiculè producendus: adhæc & summam fabulæ, & argumenta præcipua complectitur.

Est Nazareth, inquit, ubi Christus egit, Hieronymo teste, viculus in Galilæa, juxta montem Thabor: unde & Dominus noster Iesus

Iesus Christus Nazarenus vocatus est: habétq; Ecclesiam in loco quo Angelus ad beatam Mariam evangelizaturus intravit: sed & aliam ubi Dominus est nutritus. De iisdem duabus domibus & Beda meminit, cùm agit de locis sanctis (cap. 16.) Porrò domus illa, in qua de Verbi incarnatione sanctissima Virgo cæleste accepit nuntium, adhuc magno miraculo non tantùm integra perseverat: sed Angelorum ministerio ab infidelium manibus vindicata, in Dalmatiam primùm, inde in Italiam translata est in agrum Lauretanum Piceni provinciæ: quod perinsigne ac nobilissimum vetustatis monumentum totus Christianus Catholicus Orbis veneratur ac colit. Nec est quòd quis de re gestâ dubitet, qui memoriâ repetat illic dictum esse ab Angelo (Lucæ 1. vers. 37.) non est impossibile apud Deum omne verbum. Fidei Christianæ esse, prædixit Christus, ut & montes Christianorum imperio è loco in locũ transferrentur: præstiterunt hoc complures Sancti, & inter alios Gregorius ille magnus, cognomento Thaumaturgus. Complura enim id generis certâ auctorum fide reperiuntur miracula edita. Sed in his modò non immorandum. Qui Nazareth inviserunt, ejusdem domus situm eâdem omninò mensurâ signatum inspexerunt; accolis, quod factum est fideliter attestantibus. Sed hæc obiter. neq; enim est in animo, rei gestæ historiam egregiè testatam hic enarrare: agemus de eâ suo tempore quo facta scribitur. Interim his fruere Lector, quæ venerandus Pater Petrus Canisius (Lib 5. de S. Mariâ Deiparâ cap. 25.) cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias, non minùs piè quàm ornatè atq; eruditè, suo more conscripsit.

Hactenus Baronius, à quo simul observa nominatum assertorem Lauretanæ Divæ tertium, Petrum Canisium, veteranum illum Iesuitam.

Ad hosce tres Demetrios, infamis Idoli præcones, adjunxit sese deniq; quartus, Horatius Tursellinus Romanus, &

ipse Iesuita, qui libris quinq; Lauretanam, ut vocat, Historiam complexus, ostendere voluit, sibi quoq; scopum illum Ordini suo unicè præfixum magnæ curæ esse. Nam publicè constat, Iesuiticæ sectæ potissimum hunc esse finem, ut inclinatam & ad lapsum jam pronam rem Romanam qualitercunq; fulciant, ac nutantem pœneq; fusam superstitiosi Papatûs aciem, ipsi ceu triarii supervenientes integri, restituant. Qua in re strenuè quidem atq; gnaviter allaborant: sed profectò, nisi verum fateri nolunt, voto conatuiq; successus haud respondet. Quamvis enim in Orbem novum (si modò vera sunt, quæ inde perscribuntur) & ad eos, quos

Sub pedibus Styx atra videt, manesq; profundi,

Papales institores illi non infelici mercatu vitreas suas pro gemmis exportent exponantq; merces, faciliùs ibi decepturi,

Semper ubi obtentæ densantur nocte tenebræ :

nobis tamen haud est quod sperent se fucũ facturos, quos Dei benignitate Sol veritatis, pulsâ mendaciorũ caligine, & longæ noctis tenebris, quæ nos nimium diu sepserant obsederantq;, collustrat. Miramur potiùs etiam atq; etiam, viros doctos (hanc enim eis laudem non invidiosâ confessione tribuimus) adeò prostituere suam existimationem, ut in gratiam Capitolini sui Mystarchæ patrocinium suscipere non erubescant absurdissimarum quarumq; rerum: qualis, aut omnia me fallunt, aut hæc de Lauretanâ domo fabula est: id quod in huius progressu scripti tam manifestum reddam, quàm quod est manifestissimum. In quo sic versabor, ut præcipuè quidem Vergeriani libri vestigiis inhæream, rationes eius ordine proponendo, & pluribus adstruendo: quæq; futiliter à Turriano sunt responsa, destruendo: sed interim tamen etiam quæ Baronius, Tursellinus, Canisius habent ad hanc rem pertinentia, opportunis quæq; locis interponam.

Antè

Antè verò quàm ad confutationem accedam, ipsam de Lauretanâ domo narrationem, in qua refutationis semina sparsa, producam ad verbum, prout eâ tabulâ quæ in templo Lauretano est adfixa, continetur: ubi orationis barbaræ sordes cum fæce mendaciorum quasi certare videntur. Quæ ipsa quoq; styli ruditas argumento est, figmentum hoc illo demum exortum esse tempore, quo tam de literarum elegantiâ barbaries, quàm de veritate ἱερατολογία triumphavit.

CAPVT I.

in quo

Aedis Lauretanæ fabula.

ECclesia beatæ Mariæ de Loreto fuit camera domus beatæ virginis Mariæ, matris Domini nostri Iesu Christi, quæ domus fuit in partibus Hierusalem Iudææ, in civitate Galilææ, cui nomen Nazareth, & in dictâ camerâ fuit beata virgo Maria nata, & ibi educata, & postea ab Angelo Gabriele salutata: & demum in dictâ camerâ nutrivit filium suum Iesum Christum, usque ad ætatem duodecim annorum. Demum post Ascensionem Domini nostri Iesu Christi in cœlum, remansit virgo Maria in terrâ cum Apostolis, & aliis discipulis Christi: qui videntes multa mysteria divina fuisse facta in dictâ camerâ, decreverunt de communi consensu omnium facere

cere unam Ecclesiam, in honorem & memoriam beatæ virginis Mariæ. Et ita factum fuit: & deinde Apostoli & Discipuli illam Cameram consecràverunt in Ecclesiam, & ibi celebraverunt divina officia: & beatus Lucas Evangelista suis manibus fecit ibidem unam imaginem ad similitudinem beatæ Virginis, quæ ibi est usq; hodie.

Demum dicta Ecclesia fuit habitata & honorata, cum magnâ devotione & reverentiâ, ab illo populo Christiano, qui erat in dictis partibus, in quibus stetit dicta Ecclesia, quousq; ille populus fuit Christianus. Sed postquam ille populus dimisit fidem Christi, & recepit fidem Mahometi, tunc Dei Angeli àbstulerunt prælibatam Ecclesiam, & portaverunt illam in partes Sclavoniæ: & posuerunt eam ad quoddam castrum, quod vocatur Flumen. Et ibi minimè honorabatur, ut desiderabat beata virgo Maria.

Iterum de eodem locò Angeli abstulerunt illam, & portaverunt eam supra mare, in partibus territorij Recanati: & posuerunt in quadam sylvâ, quæ erat cujusdam nobilis Dominæ civitatis Recanatensis, quæ vocabatur Loreta. Tunc accepit ista Ecclesia nomen ab illâ Dominâ, quæ erat illius

sylvæ Domina & patrona, Sancta Maria de Loreto.

In illo tempore, propter gentium nimium concursum in eâ sylvâ, qua ipsa Ecclesia permansit, maxima latrocinia & innumerabilia mala committebantur. Quapropter per Angelorum manus rursus assumpta est, & portata in montem duorum fratrum. In eodem monte per eorum Angelorum manus sita est. qui fratres, ob maximum denariorum & aliarum rerum introitum & lucrum, simulatq; ad invicem ad maximas discordias & lites venerunt.

Propterea pari modo Angeli abstulerunt eam ab eodem montis loco, & portaverunt in viam communem: & in eâdem illam posuerunt: & firmaverunt eam, ubi est nunc cum magnis signis & innumerabilibus gratÿs & miraculis. Collocata fuit in eâdem viâ ista alma Ecclesia. Tunc igitur totus populus Recanati, fuit ad videndum dictam Ecclesiam, quæ erat super terram sine aliquo fundamento. Propter quod dictus populus considerans tam magnum miraculum, & dubitans, ne dicta Ecclesia veniret ad ruinam, fecerunt dictam Ecclesiam circumdari alio muro bono, grosso &

optimo fundamento, prout hodiè videtur manifestè. Tamen nullus sciebat, unde ista Ecclesia originaliter veniret, nec unde recessit.

Nota quomodo suprà dicta sunt scita in anno Domini 1290. quia beata Virgo apparuit in somno cuidam sancto viro, ei devoto, cui ipsa suprà dicta revelavit: & ipse statim omnia divulgavit quibusdam bonis viris istius provinciæ: & ipsi immediatè deliberaverunt velle scire veritatem hujus rei. Et sic communicato consilio decreverunt, quòd essent sexdecim homines notabiles & boni, qui simul irent ad sanctum sepulchrum, & demum ad illas partes de Hierusalem Iudææ, & in civitate Nazareth, ad investigandum suprà dicta inventa, & ita factum est. nam ipsi secum portaverunt mensuram dictæ Ecclesiæ, & vestigia fundamentorum dictæ Ecclesiæ invenerunt: & illam mensuram ad ungvem, sicut est ista. Et in una pariete ibi propè est scriptum in muro, quomodo ista Ecclesia fuit ibi, & postea recessit. Demum quippe ibidem viri reversi sunt ad istam provinciam: notificaverunt, suprà dicta inventa per eos esse vera. Et extunc fuit scitum, quòd ista Ecclesia fuit Camera sanctæ Mariæ Virginis. & exinde populus Christianus

stianus habuit magnam devotionem, & habet. Nam omni die ibi beata Virgo Maria, mediante dictâ Ecclesiâ, facit infinita miracula, veluti experientia docet.

Hic fuit unus heremita, qui vocabatur Frater Paulus de Sylvâ, qui habitabat in uno tugurio in sylvâ, prope istam Ecclesiam, qui omni manè erat in istâ Ecclesiâ ad officium divinum: & fuit homo magnæ abstinentiæ, & vitæ sanctæ, qui dixit: jam sunt anni decem, vel circa; quòd in die Nativitatis Mariæ, quæ est octava dies Septembris, ante diem per duas horas, stante aëris serenitate, & dicto Fratre Paulo exeunte de suo tugurio, & veniente versus Ecclesiam, vidit unum lumen descendere de cœlo supra dictam Ecclesiam, quod in longitudine videbatur 12. pedum, & in latitudine 6. pedum. Et cùm fuit illud lumen supra dictam Ecclesiam, disparuit. Ob quam rem ipse dicebat, quòd fuit beata Virgo, quæ ibi apparuit in die Nativitatis suæ: quæ venit, ut videret suum festum. Et hoc non vidit, nisi ille sanctus homo.

In quorum omnium fidem & testimonium mihi Præposito Teremano & gubernatori prænunciatæ Ecclesiæ, quidam duo boni viri, hujus villæ

habitatores, retulerunt, ac nunciaverunt, & pluribus vicibus dixerunt. Unus vocabatur Paulus Renaldatius: & alius, Franciscus, aliàs Prior. Et dictus Paulus dixit mihi, quòd avus avi ejus vidit, quando Angeli duxerunt prædictam Ecclesiam per mare: & posuerunt illam in dictâ sylvâ: & pluribus vicibus ipse cum cæteris personis ipsam Ecclesiam in prælibatâ sylvâ visitavit. Item dictus Franciscus multoties retulit, ac dixit mihi, quòd avus ejus, qui erat cẽtum viginti annorum, dixit, quòd pluribus vicibus visitavit dictam Ecclesiam in eâdem sylva. Et pari modo ipse Franciscus retulit atq; dixit mihi per plures vices.

Item ad hujus rei credulitatem atq; certitudinem declaramus, quomodo ista alma Ecclesia fuit & stetit in dictâ sylvâ, pluribúsq; probis personis dictus Franciscus dixit, quòd avus avi ejus habuit domum & habitavit ibi: & ejus domus erat penès prætaxatam Ecclesiam. Et in suo tempore elevata fuit per angelos à loco sylvæ, & portata in montem duorum fratrum, & ibi sita & collocata est, ut dictum est superiùs.

Atq; hactenus de Lauretanæ domûs origine & migratione multiplici narratio: in qua, quamcunq; in partem te vertas, occurret tibi

Pergula pictorum, veri nil, omnia falsa:

ut est apud poëtam. Præter quas falsas falsimonias cùm etjam sermonis sorditudo nauseam cordato lectori creare posse videretur; conati quidem sunt cùm Turrianus in vestibulo suæ apologiæ contra Vergerium, tum verò peculiari opere Tursellinus, hancce fabulam cultioris orationis mangonio & phaleris exornare, ut facerent adeò portentosæ narrationi, si non à re, saltem à stylo, fidem: haud secus ac ursæ, deformes informésq; catulos suos lambendo paulatim figurant. Sed profectò, quemadmodum simia simia est, utut vel purpurâ niteat: vel superbiat insignibus aureis: ita hæc fabula nil nisi fabula est, adeò putida, insulsa & insipida, ut condimentum orationis omne respuat aut vincat. Id quod tum maximè clarum est, cùm non spectatis illis verborum lenociniis, ad rem ipsam, animi mentem convertimus, & attentiùs examinamus argumenta Vergerii, quæq; contrà Turrianus regessit imbellia & sine ictu tela, ad quæ nunc repellenda, cum bono Deo accedemus.

CAPVT II.

PRAECIPVVM IDOLI LAVretani fulcrum deiicitur.

Quod in prælio fieri consuevit, ut hostium ducem potissimùm impetamus, eoq; sublato, proclivem nobis de cætero exercitu victoriam spondeamus: quippe cùm, ut est apud Curtium, *militaris sine duce turba, corpus sit absq; spiritu*: id in hac quoq; εἰδωλομαχίᾳ præstare, non ab re fuerit. Itaq; palmarium & præcipuum argumentum, in primam aciem subducam, & sub examen revocabo: quo confutato, de reliquis minùs erit labo-

randum. Quanquam ne hoc quidem tanti eſt, ut in eo diſſolvendo ſit magnoperè deſudandum. Ductum illud eſt ab omnipotentiâ divinâ: & cùm à Baronio loco ſuprà citato propoſitum: tum à Turſellino lib. 1. fab. Laur. cap. 3. repetitum; à noſtro quoq; Turriano non ſemel inculcatum: In hac ipsâ domo Lauretanâ, dum adhuc natali ſuo ſolo Nazareno eſſet adfixa, ſalutatorem Angelum dixiſſe ad Mariam, ut eſt à Lucâ cap. 1. verſ. 37. traditum: ὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ θεῷ πᾶν ῥῆμα: *Non erit impoßibile apud Deum omne verbum.* Quare non eſſe de translati miraculosè cubiculi Nazarethici fide dubitandum.

Sed nôrint Ieſuitæ, nec nos, nec quemquam alium verè Chriſtianum hominem, Dei omnipotentiam in dubium vocare: quam ipſi adeò pagani aſſeruerunt: è quibus olim Epicharmus poëta verè dixit: ἀδυνατεῖ ὐδὲν θεῷ: *Nihil Deo eſt impoßibile.* Et Homer. in ί. Odyſs. θεοὶ δέτε πάντα δύνανται: *dii omnia poſſunt.* Velim autem cogitarent Ieſuitæ, quantam non dico feneſtram, ſed portam decumanam fabulis anilibus, & opinionibus impiis ac pernicioſis aperiant, qui Dei omnipotentiam ἀναποσπάςως cum ejuſdem voluntate copulant: & quę poſſe Deum conſtat, eadem & voluiſſe contendunt. Quo argumentationis admiſſo genere, quid deniq; non credemus? Sunt in Alkorano Turcico portentoſa & miranda quædam: ut, Solem & Lunam in equis vehi: Solem in aquam calidam veſpere mergi, & benè lotum aſcendere atq; oriri: ſtellas in aëre è catenis aureis pendére: terram in bovini cornu cuſpide ſtabilitam eſſe; & agitante ſe bove ſuccutienteq;, fieri terræ motum &c. Affirmant etiam Rabbini, poſtquam Moſes rupem virgâ percuſſiſſet, puteum repentè extitiſſe, qui Iudæos iter facientes per deſertum ſit ſecutus ad montem uſq; Moriæ. Iidem de verme Schamir adhibito à Salomone

mone ad lapides dissecandos in structurâ Templi, mira narrant. Iidem Leviathanis & Beemoth magnitudinem narratione mirificâ & omnem excedente fidem exaggerant. Et sexcenta hujusmodi alia sunt in eorum Thalmud: quæ si divinam spectamus omnipotentiam, etiam facilia, tantum abest ut impossibilia, sunt immortali Deo: sed quæ reiiciunt tamen, respuunt, irrident omnes pii. Meritò id quidem; quia nullum testimonium extat, illa mirabilia Deum efficere voluisse. Atqui rectè Theologi tradunt: ut fiat aliquid, necessarium esse, σωύδρομον εἶναι τῇ δυνάμει τὴν βούλησιν τοῦ θεοῦ: *ut potestas Dei, ejusdémque voluntas in idem concurrant.* Quid multa? Scitum est piorum Patrum: *Omnipotentiam Dei asylum esse Hæreticorum, quò se recipiant, ubi rationum præsidio depulsi fuerint.* Quomodo D. Gregorius Nazianzenus de Apollinaristis hæreticis inquit: ὑπὸ τούτων ἐξειργόμενοι τῶν λογισμῶν, καταφεύγουσιν ἐπὶ τὸ δυνατὸν εἶναι θεῷ: *ab his rationibus dejecti, confugiunt ad potentiam Dei.* Nec aliter olim Ariani, quum scelestè contenderent, Christum non esse Dei filium per generationem & nativitatem, sed per facturam; erroris convicti ab orthodoxis, eò tandem confugiebant, ut dicerent: *per omnipotentiam Dei hoc Christo præstitisse facturam, quod datura erat generatio*: quemadmodum legitur apud Augustinum in quæstione 97. quæstionum veteris & novi Testamenti (tom. 4. pag. 769. a.) quo loco sic error ille confutatur: *Non voluntas verum Filium facit, sed nativitas. Sed potentiæ, inquiunt, Dei hoc subest, ut falsa faciat vera. Imò potentia Dei hæc est, unde & omni laude dignus est: quia verum apud illum, verum est; & falsum, falsum est. Nam istud mendacis est, ut falsum dicat verum: quod Deo non competit. Nam omnia quidem potest Deus: sed non facit, nisi quod conveniat veritati ejus ac justitiæ.* Hactenus Augustinus. Ex quibus apparet id, quod occupavi dicere, fluctuantes per-

tes pertrahi in illud Omnipotentiæ divinæ pelagus, qui sacræ Scripturæ, vel aliorum fide dignorum testimoniorum funiculo scapham assertionis suæ pertrahere nequeunt ad alicujus stabilitatis littus.

Quod si tamen his Iesuitæ non acquiescentes acriùs urgeant; eò tandem adigent; ut in ipsos torqueam, quod est à Cicerone lib. 2. de divinat. conjectum in Stoicos, nescio quæ deliria eodem illo argumento (NIHIL EST, QUOD DEUS EFFICERE NON POSSIT) adstruentes: *Vtinam* potens omnia Deus *sapientes Stoicos* (Iesuitas) *effecisset, ne omnia superstitiosâ sollicitudine & miseriâ crederent.*

Verum enimverò Baronium instantem audio, quòd sit à Christo prædictum (Matthæi 17. vers. 20. & Lucæ 11. vers. 23.) fidei Christianæ esse, ut & montes Christianorum imperio è loco in locum transferantur. Ne res exemplo careat, Gregorium illum magnum, cognomento Thaumaturgum producit, quem Gregorius Nyssenus in ipsius vita, montem olim, fusis ad Deum precibus, sede suâ dimotum aliò transtulisse scribit. Quod exemplũ etiam Tursellinus lib. 1. cap. 2. refert: & est, ubi Turrianus eodem utitur. Poterant addi, quæ Gul. Postellus in compendio Cosmographiæ, & Marc. Paulus Venetus lib. 1. de reg. Orient. cap. 18. commemorat: Christianis, qui in Perside circa Taurisiũ erant, Sarracenum Calipham Christianæ doctrinæ falsitatem objecisse, quòd Christus dixisset fore, ut, si quis fidem haberet, montes suo moveret loco: Itaq; coëgisse illos, ut vel fide & oratione dogma hoc verum esse ostenderent: vel Mahumetis perfidiam reciperent: vel simul omnes deniq; perirent. Illis igitur ad preces conversis, quendam fide & spe plenum, confortatis cæteris dixisse: *Turo Zel Men Hosso Bsemo d Iesua Msicho Moram:* hoc est: *Abi mons hinc in nomine Iesu Christi Domini nostri.* Confestímq;

festímq; montem emotum sede suâ, permultis Sarracenis amplectendæ Christianæ religionis occasionem præbuisse. Sic Nonnosum cœnobii præfectum in monte Soractes rupem loco movisse solâ oratione, refert Gregorius Magnus lib. . dialog. cap. 7. De muliere item captivâ Christianâ apud Iberos, quomodo columnam nullis machinis movendam, precibus suspenderit, tradunt Ruffinus lib. 1. cap. 10. Socrates lib. 1. cap. 20. Sozomenus lib. 2. cap. 6. Hinc ergo non modò potentiam Dei (ex qua solâ nihil probari, suprà probatum ivimus) sed & voluntatem, & voluntatis effectum elucescere ajunt ij, qui D. Mariæ Camerā volatilem faciunt. Sed ô boni, nihil proficitis. Primùm enim, fugere vos minimè potest, qui Patres subinde crepatis, D. Hieronymi de istâ motrice montium fide sententia. Sic autem ille in commentar. super Matthæi cap. 17. (tom. 9. pag. 52.) *Montis translatio non eius significatur, quem oculis carnis aspicimus: sed illius, qui à Domino translatus fuit ex lunatico. Quod enim ait: dicetis monti huic: transi hinc, & transibit: de dæmone intelligitur. Ex quo stultitiæ coarguendi sunt qui contendunt, Apostolos, omnésq; credentes, ne parvam quidem habuisse fidem: quia nullus eorum montes transtulerit. Neq; enim tantum prodest montis de alio in altum locum translatio, & vana signorum quærenda ostensio, quantum in utilitatem omnium iste mons transferendus est: qui per prophetam dicitur corrumpere omnem terram.* Hæc D. Hieronymus. Quid etiam D. Augustinus in quæstionibus Evangel. lib. 1. cap. 29. (tom. 4. pag. 333.) & D. Ambrosius in psalm. 45. ea de re scribant, scitis. Non est ergo, quod nobis irascamini, si in productis exemplis ἐπέχομεν, præsertim cùm autores illa nō αὐτόπται, sed rumore accepta tradiderint. Deinde si vel maximè vera largiamur: nihilo tamē plus ad Lauretanam vestram faciunt, quàm ad oculum pugnus. Quid habet enim, quæso, com-

mune mons cum camera : in proximum ſeceſſio , cum illo per ingentes terrarum mariſq; tractus volatu : facta vi precum fideiq; virtute translatio , eadémq; bonum in finem suſcepta ; cum eâ in qua nihil tale conſpicitur ? Adde quod iſta motorum loco montium exempla, literarum conſignata monumentis, & quidem ab iis autoribus ſunt, quibus, etſi potuerit humanitùs aliquid contingere , nefas tamen ſit per omnia fidem abrogare : quæ autem ad conciliandam Lauretanæ fidem adducunt ſacrificuli , eam adeò non merentur, ut φοινικόν τι latere, nemini non apertum eſſe poſſit. Neq; verò divina providentia permiſſura fuiſſe videtur , ut hiſtoriæ tam admirandæ nulla eſſet certa narratio , nullum fide dignū teſtimonium.

Hoc fulcro præcipuo dejecto , ad ſpecialem argumentorum conſiderationem veniendum eſt. Et quia de ſententiâ Nicephori Gregoræ lib. 10. hiſtoriæ Byzantinæ cap. 11. τοῖς διαλεγομένοις ὄργανόν ἐστι συλλογισμὸς, εἰς τὴν τοῦ προκειμένου κατασκευὴν , καθάπερ ἡ σκαπάνη τῷ σκαπανεῖ , καὶ ἡ κώπη τῷ πλέοντι: *diſputantium inſtrumentum ad propoſiti confirmationem Syllogiſmus eſt, ut ligo foſſorum, & remus navigantium* : ideoq; ſic attemperabo meam orationem, ut, quæ & à Vergerio fusè proponuntur, formâ ſyllogiſticâ veſtiam: & quæ reponuntur à Turriano, quam ad propoſitionem pertineant, quámq; vim habeant , candidè & φιλαλήθως oſtendam. Ideo autem ad Logicam omnia ſtateram exigere placet, ut ἀσυλλογιστία Turriani , quæ ſub illo patulo fuſoq; orationis genere qualitercunq; latitans , incautos decipere poteſt , in anguſtum coarctata , & ad ſyllogiſticam adſtricta formam , luculentior evadat.

CAPVT III.

Primum argumentum Vergerij.

VT autem presso veluti pede, Vergeriano scripto insistam, primum ejus argumentum, ut pleraq; alia, ex ipsâ narratione Lauretanâ desumptum, sic habet.

Quæcunq; narratio miraculosa eos autores habet, quibus bono fuit: illa fabulæ, quàm veritati propior est.

Talis hæc de Lauretanâ domo Narratio est. E.

Minorem probat ex eo, quia primus autor hujus narrationis fuit sacrificulus ille, propè trecentis abhinc annis parochus sive Curio Lauretanus, nomine *Tertmanus*. Hoc enim testatur ipsemet eo scripto, quod superiori capite 1. proposuimus, inquiens: *duo boni viri hujus pagi dixerunt hæc mihi gubernatori dictæ Ecclesiæ &c.* Quantum autem hæc fabula profuerit assertoribus fuit, ex eo perspicitur: quòd non ille modò Curio Teremanus luculentum inde culinæ suæ focum instruxit: verùm etiam ex pago, vix unum antea sacrificulum alente, frequens oppidum, cinctum mœnibus & propugnaculis munitissimis est effectum, ubi ferè quadraginta partim Canonici, partim Capellani habitant, & in deliciis atq; luxu vivunt. Quin usq; adeò crevit simul existimatio & commoditas loci, ut Cardinales inter se digladientur quò, possint à Papis isti loco præfici.

Hæc Vergerius. Sed quid ad ea Turrianus? Ne tantulum quidem. Ita primo limine statim infirmitatem suæ causæ tacitâ confessione prodit. Cæterùm ne quis opinari possit, hoc argumentum, ut indignum refutatione, contemptim ab eo præteritũ fuisse; placet id aliquanto pluribus adstruere.

Ad Majorem ergo propositionem firmandam hæc fa-

ciunt. Apud Romanos olim decantatiſſima formula illa fuit, CUI BONO: cujus autor eſt L. Caſsius Prætor, is cujus tribunal propter nimiam ſeveritatem *Scopulus reorum* dicebatur, quemadmodum Valerius Maximus lib. 3. dictor. factorúmq; memorabil. cap. 7. tradit. Vnde Caſſianum hoc dictum appellatur à Cicerone philippicâ 2. his verbis: *Quod ſi te in judicium quis adducat, uſurpétq; illud Caßianum: Cui bono fuerit, vide quæſo, ne hæreas.* Et pro S. Roſcio: *Lucius Caßius ille, quem populus Romanus verißimum & ſapientißimum judicem putabat, identidem in Cauſis quærere ſolebat, cui bono fuiſſet. Sic vita hominum eſt, ut ad maleficium nemo conetur ſine ſpe atq; emolumento accedere.* Idem pro Milone: *Itaq; illud Caßianum, cui bono fuerit, in his perſonis valeat: etſi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem: improbi ſæpè parvo.* Ad quem locum Aſcon. Pædian. hæc notat: *L. Caßius fuit ſummæ vir ſeveritatis. Quoties Quæſitor judicij alicujus eſſet, in quo quæreretur de homine occiſo: ſuadebat, atq; etiam præibat judicibus hoc quod Cicero nunc admonet, ut quæreretur, cui bono fuiſſet perire eum, de cujus morte quæreretur.*

Vt autem in maleficiorum inquiſitione, ſic non minùs in teſtium exploratione, formula illa, *cui bono*, locum habere debet: ut ne ſcilicet facilè fidem ejuſmodi teſtibus adhibeamus, quibus bono eſt, narrationem aliquam falſam, veram exiſtimari. Vnde magiſter prudentiæ Tacitus lib. 4. hiſtor. cap. 81. de miraculis ab Imp. Veſpaſiano in præſentiâ plurium patratis, *eos*, inquit, *qui interfuêre, nunc quoq; illa memorare, poſtquam nullum mendacio pretium.* Et Arrianus in veſtibulo hiſtoriarum de expedit. Alexandri M. Ptolemæum & Ariſtobulum rerum geſtarum Alexandri ſcriptores *præ cæteris fide dignos ſibi viſos fuiſſe profitetur ideò, quòd mortuo jam tum Alexandro ſcripſiſſent: cùm neq; neceßitas, neq; merces, quâ adducti,*

ducti aliter quippiam, atq; accidisset, scriberent, esset proposita. Quis enim gratuitò mendax sit? Huc pertinet illud Nasonis lib. 3. trist. eleg. 10.

> ———— *cùm sunt præmia falsi*
> *Nulla, ratam debet testis habere fidem.*

Hæc itaq; regula etiam in examinando Lauretano dolo dicam? an idolo servari meritò debet: cujus testes non nisi ij sunt, qui aut focum inde instruunt: aut alibi certè Papæ salem lingunt: quorum interest, talia ad quæstum conficta, & πρὸς ἄλφιτα pertinentia, fidem apud omnes invenire: ne sacrificulorum arte patefactâ, esurire necesse habeant.

Porrò de Minore propositione dubitare nemo potest, qui Tursellini quinq; scriptos hac de fabula libros pellegerit; in quibus, si miracula excipias, hoc unum agit, ut quàm tenuibus à principiis Lauretanum cum oppido templum quantis auctibus accreverit, exponat: & invidendas, stupendas atq; superbas opes explicet, hac ærusc atione comparatas, & in illam pauperculam humilémq; Mariam collatas: quæ benigna Diva non ita tamē suarum rerū tenax est, quin eas cū aliis quoq; communicet. Nam & famâ certâ constat, & ex Tursellini locis aliquot haud obscurè colligitur: Papam non rarò solere Lauretanos illos thesauros excutere; & sumptâ sibi parte superfluâ, relinquere aliqua, quorum ostentatione Diva munificentiam aliorum eliciat. Etiam Eleusina, quod est in proverbio, servat quod ostendat. Non possum facere quin hîc annotem, quæ in Apiario Romano, quod vocant, ea de re perscripta leguntur. Cujus libri, ut hoc ἐν παρόδῳ moneam, autor est Philippus Marnixius Sanct. aldegondius, qui illum primò Belgicè concepit, ac edidit anno 1571. quo tempore crudelissimè in viscera Belgicæ sæviebat Albanus. Postea Ioannes Fischartus, dictus Mentzer, IC. festivissimi vir ingenii,

ex Belgico idiomate in nostrũ Teutonicum transtulit: quæq; minori literâ sunt expressa, de suo adjecit: vel potiùs, ut apparet, ex Henrici Stephani Gallico libro, qui inscribitur *traicté preparatif à l' apologie pour Herodote*, mutuatus est. Hic liber historiarum varietate & sententiarum acumine refertissimus, jocis facetiisq;, in Pontificiorum de templo hominum theatrales nugas sparsis, mirè conditus, plus ad subruendum Papæ regnum, quàm serii aliquot de religione commentarij, illa tempestate contulisse videtur. Nam, ut inquit Tertullianus adversùs Valentinianos, cap. 6. *Multa sunt sic digna revinci, ne gravitate adorentur. Vanitati propriè festivitas cedit. Congruit & veritati ridere, quia lætans: de æmulis suis ludere, quia secura est. Vbicunq; dignus risus, officium est.* Sic autem habet autor ille, Papam Romanum ex isto Europæ spoliario fædóq; prædarum receptaculo, quotannis ad centena millia nummorum aureorum collegisse: quanquam illi reditus admodum accisi fuerint & imminuti ab eo tempore, quo ταχυπειθία nimiáq; credulitas in Orbis Europæi parte meliore desiit; & animadverti tandem aliquando cæptum est, sacrificulos non vero Zelo domûs Dei, sed utilitatis ratione ductos, & *pietatem*, ut inquit Apostolus, *quæstum existimantes*, istiusmodi commentis fidem adstruere.

Petrus Rœstius Iesuita in pseudojubilæi, quod vocat, capite 12. propos. 24. Indulgentias à Leone Pontifice, præcone Tetzelio promulgatas excusaturus, per verecundiam significat magis quàm expromit, licere Pontifici D. Petri successori, magnâ aliquâ causâ oblatâ, aut ad nobilissimum aliquod opus perficiendum, uti piâ fraude, ac talibus hamis pecuniam attrahere. Verùm an hoc fiat ad exemplum D. Petri, Pontificum, ut volunt, ἀρχηγȣ̃, & an cum sanctæ scripturæ præceptis, Ecclesiæq; primitivæ institutis conveniat, ac non maximoperè pu-

rè pugnet, ipse viderit. Id quidem constat, ut pleraq; alia Pontificiorum instituta, fœda gentilitatis imitamenta sunt; sic etjam hunc acquirendæ & accumulandæ in templis pecuniæ modum cum Ethnicis communem esse. Deam Syriam Hieropolitanam adeò redditam his artibus opulentam fuisse Plutarchus in vitâ Crassi tradit, ut Crassus ejus thesauros ponderibus & trutinis per multos dies examinaverit. Et bibliothecæ histor. libro 12. Diodorus Siculus Periclem hæc inter alia de opibus Atheniensium loquentem facit: *In templis magnam donariorum copiam haberi: adeóq. unicum Minervæ simulacrum quinquaginta auri talenta pendere: cujus ornatus ita sit circumjectus, ut* DETRAHI *aliquando possit, & si necessitas aliqua ingruerit*, COMMODATO *à Dea* SUMI. Ita nimirum commodato, ut à Lauretanâ Pontifices, numquam restituturi: cùm possint eâdem se tueri προφάσει, qua Plutarchus Dionysium scribit usum, cùm mensas aureas atq; æreas diis dicatas, cum inscriptione, *bonorum deorum*, è phanis sustulisset: deorum *bonitate* uti se velle professus.

In gratiam Rœstii, vel potiùs lectorum Rœstii, verborum ejus in loco suprà citato, producam interpretationem: ut appareat, quænam sint illa NOBILISSIMA, quæ dicit, OPERA, quibus Indulgentiæ, quas excusat, deservierunt: & quibus cùm Lauretanas, tum alias ærufcatione Pontificum acquisitas opes deservire, ex eo facilè perspici potest. Interpres esto, non hominum nostrorum aliquis, qui vel parum scire, vel inimico adfectui aliquid tribuere videri queat: sed Franciscus Guicciardinus, historicus, Lipsii vestri judicio, prudens, peritus, VERAX, AB AFFECTIBUS IMMUNIS. Is ergo lib. 13. histor. *Vt in Germania*, inquit, *excitarentur turbæ, occasionem dederat Pontificatûs autoritas, qua Leo nimis licenter utebatur: qui in ijs, quas Indulgentias vocat, quæ à Pontificibus in sacerdotiis & aliis*

& aliis sacris rebus (ut quando redimenda pallia) *concedi solent, Laurentij Puccij Quatuorsanctorum Cardinalis consilium secutus, nullo temporum & locorum habito delectu, per universum Orbem amplissima privilegia, quibus non modò vivis delictorum veniam consequendi: sed & defunctorum animas, ejus ignis, in quo delicta expiari dicuntur* (purgatorii) *pœnis eximendi facultatem pollicebatur, promulgârat: quæ quia pecuniæ tantùm à mortalibus extorquendæ gratiâ concedi notum erat: & à Quæstoribus huic negotio præfectis impudenter administrabantur: magnam plerisq; in locis indignationem offensionémq; concitârant: & præsertim in Germaniâ, ubi à multis ex ejus ministris hujusmodi mortuos pœnis liberandi facultas parvo pretio vendi, vel* IN CAUPONUM TABERNIS ALEAE SUBIICI *cernebatur. Quam indignationem auxit, quòd Pontifex multarum Germaniæ partium ex hujusmodi Veniâ exactionum emolumentum Magdalenæ sorori suæ dono dederat, quæ cùm Arcemboldum Episcopum ejus muneris, quod per summam avaritiam & extorsionem exercebat, dignum ministrum huic exactioni præfecisset; & per totam Germaniam, eam pecuniam, quæ extorqueretur, non ad Pontificem sacrúmve ærarium, unde* FORTASSE, *ut* ALIQUA *ejus* PARS *in bonos usus converteretur*, FIERI POTUISSET, *deferri: sed ad mulieris cupiditatem explendam, destinatam esse fama loqueretur: non modò eam exactionem & ministros ad eam delegatos: verùm etiam ejus, qui tam inconsultè ea concedebat, nomen autoritatémq; detestandam reddiderat, &c.*

Cochlæus aliam insuper adducit istorum quæstuum indulgentiariorum causam, scilicet structuram templi S. Petri, quam antecessor Leonis Iulius II. sumptuosissimâ inceperat magnificentiâ: morte autem præventus, tantæ magnificentiæ opus perficere nõ potuit. Cogitet autẽ pius & cordatus lector, an istæ causæ (sororum nepotúmq; locupletatio: im-

manium-

maniúmq; structurarum insania) sufficiant ad excusandam hanc imposturam: ac desinat Ignitabularius Molsheimensis ceu magnam calumniam obiicere, quod istas artes AUCUPIUM PECUNIAE diximus.

Quod me penè præterierat, & monitu tamen haud indignum est, subnecto: si qui forte miretur, cur à Iesuitis potissimùm, suscepto deploratæ causæ patrocinio, MAGNA LAURETANA proclametur, mirari desiturum, si ex Tursellini lib. 3. fab. Lauret. cap. 12. & 16. cognoverit, Collegium Societatis Iesu Laureti à Pontifice Iulio III. institutum, à Paulo IV. auctius redditum esse. Non alii intentiore voce MAGNA DIANA Ephesiorum, ingeminârunt & occlamitârunt Apostolo Paulo, quàm Demetrius cum sociis, quibus, productâ in lucem idololatriæ vanitate, turpe lucrum & illæ viscerationes intervertebantur. Actor. 19.

CAPVT IV.

Argumentum Vergerij secundum.

QVæ narratio sacris literis è diametro repugnat, ea ficta & fabulosa est.

Talis hac de Lauretanâ domo narratio. E.

Minor probatur. Cùm enim Matthæi 1. sub finem capitis dicatur: Iosephum ab Angelo in somnis monitum, Mariam conjugem ad se accepisse: narratio tamen illa fingit, Mariam in Camerâ Lauretanâ, in qua nata, educata, & postea ab Angelo Gabriele salutata fuerat, enutrivisse filium suum Christum, usq; ad ætatem 12. annorum. Vnde consequeretur, non Mariam in Iosephi domum adductam fuisse, ut mos est maritis, & Evangelistæ verba volunt: sed contrà Iosephum à Mariâ sponsâ receptum fuisse, ut unâ cum eâ in do-

mo soceri socrûsq; , nempe Ioachimi & Annæ , habitaret.

Etsi verò nihil necesse sit, hoc aliorum autoritate confirmare : quum sufficiat omninò , clarissimum Evangelii textum adduxisse : testem tamen insuper accersit Nicephorum Callistum, Ecclesiasticæ historiæ scriptorem, qui capite 8. libri 1. sic inquit : *Itaq; in Nazareth cum Iosepho domicilium illa habens, ab Archangelo Gabriele latum accepit nuncium dicente: Ave gratiâ plena.* Et capite 12. ejusdem libri : *Christus in domo Iosephi circumciditur.* Ex quibus clarum est, Christum non fuisse enutritum in illo cubiculo, in quo fuerat nata mater ejus, quódq; postea Lauretum transvolâsse fingitur : sed partim in ipsius Iosephi domo : partim etiam in AEgypto. Quod posterius ipsum etiam ab Evangelista Matthæo disertè confirmatur cap. 2. vers. 14. & 15. Iosephum scilicet, quum Herodis crudelitatem metueret, Angeli monitu in AEgyptum secessisse.

Atq; hæc etsi sic manifesta sunt , ut quæ manifestissima: Turrianus tamen habet quæ reponat.

Et Majoris quidem propositionis gratiam nobis facit: etsi aliâs probè sciamus, quanti Scripturam sacram homines isti faciant: ut quæ nasus cereus illis haberi cœpit, ad res profanas & impias probandas flexibilior & facilior, quàm facile est ex pedibus, aut semipedibus, aut penthemimeribus Virgilianis epithalamia, seu quidvis aliud congerere: sicut post alios scribit Iacobus Pamelius Archidiaconus ad Tertullianum de præscriptionibus adversùs hæreticos.

In Minoris autem probatione , distinctiuncularum sese dumetis abdit: è quibus nunc extrahendus est.

Ait initiò , Iosephum Mariæ, ut maritum uxoris, caput fuisse : proinde etiam Mariæ domum rectè Iosephi domum appellatam fuisse , à capite scilicet. In domo itaq; Iosephi habi-

habitâsse Mariam, cùm in domo suâ paternâ habitabat.

Deinde subiicit, nomen *Domus* familiam quoq; significare. Vt cùm dicitur Iohannis 4. *Credidit, & tota domus ejus.* Quare cùm ait Nicephorus, circumcisum esse Christum in domo Iosephi, per *Domum* significari omnes domesticos, totámq; familiam Iosephi.

Tertiò Iosephum ex Bethlehem fuisse, ubi habitabat, & non ex Nazareth: constaréq; ex Lucæ 2. quòd ascenderit Ioseph ex Nazareth in Bethlehem: atq; ita non esse verisimile, quòd Ioseph, tamquam pauper architectus, propriam domũ habuerit in Nazareth, qui non habebat in Bethlehem civitate suâ propriâ: alioqui ad eam divertisset, ut credibile est. divertit autem ad suburbium Bethlehem: quia non erat, ut ait Evangelista, locus in diversorio.

Deniq; addit, in deducendâ domum sponsâ sæpè non servari morem: ut si sponsa sit hæres paternorum bonorum: aut domum accipiat in dotem: aut libeat viro aliâ causâ habitare cum uxore in domo ejus paternâ. ut cùm Iacobus viginti annis in domo uxorum suarum: & Moses aliquandiu in domo soceri cum uxore habitavit.

Sed ô Turriane, ubi cerebrum habuisti cùm hæc scriberes? & an habuisti? Animadvertisses enim, hæc omnia, & quicquid præterea nugarum adferri potest, unicâ illâ voculâ, παρέλαβε, quæ in Matthæo sub finem capitis extat, everti. Si enim *assumpsit* Mariam Ioseph, in domum suam traduxisse, nõ in ejus transiisse oportuit. Quid? quòd hæ responsiones secum ipsis pugnant, & se mutuò evertunt. Cùm enim in primâ *Domum* propriè accipiat: in aliis pro *familiâ* sumi dicit: ubi certè alterutram significationem exulare necesse est: nec utraq; simul unâ eadémq; in re locum habere potest. Ac tertia quidem responsio primo intuitu speciosa videri queat: sed

inſpecto tamen Evangelii textu vileſcit, imò evaneſcit. Nam ex initio capitis 2. Matthæi patet, cuiq; Tribui primariam aliquam urbem aſſignatam fuiſſe, non in quâ neceſſariò rerum ſuarum fixam ſedem haberent; ſed in qua convenirent. Quomodo convenerunt etiam in illa deſcriptione univerſali, cujus meminit Matthæus, cùm ſua ſinguli nomina profiterentur. Atq; ita Ioſephus etiam ex Nazareth, ubi domicilium habebat, in Bethlehem civitatem, ratione domûs & familiæ David, ex qua oriundus erat, ſibi aſſignatam, aſcendit. Vt ita non neceſſe ſit, Ioſephum Bethlehemii habitâſſe, quod vult Turrianus: quemadmodum nec cæteri, qui in ſuam quiſq; civitatem deſcriptionis causâ venerunt, ibidem domicilium habuerunt.

Quod autem in eâdem tertiâ ratione ſuâ Turrianus inquit: Ioſephum in ſuburbio Bethlehemitico divertiſſe; id etſi ad præſens negotium nihil pertineat, obiter tamen excutiemus: tum ut hæc materia per ſe ſterilis, iſtiuſmodi digreſſiunculis amænior fiat: tum etiam ut intelligatur, quantoperè ſolida Græcæ linguæ cognitio neceſſaria ſit ad exactam Evangelici textus intelligentiam aſſequendam. Conſtat, autorem ſalutis noſtræ Chriſtum Bethlehem patriam habuiſſe: verùm in urbéne, an extra urbem natus ſit, haud perinde conſtat. Iuſtinus Martyr quidem & Euſebius, antiquiſſimi ſcriptores, extra urbem natum exiſtimant, eò quòd locus in diverſorio non fuerit, ut Lucas ſcribit: ex quibus noſter fortaſſe Turrianus hauſit opinionem ſuam de ſuburbio Bethlehemitico. Sed ſi verba Lucæ quantâ par eſt diligentiâ expendant Græcæ literaturæ vel mediocriter periti; aliter, opinor, ſentient. Ejus itaq; verba ſic habent, cap. 2. verſ. 7. καὶ ἀνέκλινεν αὐτὸν ἐν τῇ φάτνῃ, διότι οὐκ ἦν αὐτοῖς τόπος ἐν τῷ καταλύματι: *Et reclinavit eum in præſepi: quia non erat eis locus in diverſorio.* Hîc igitur obſerve-

observetur, non dixisse Lucam, ἐν καταλύματι: sed cum articulo, ἐν τῷ καταλύματι. Sciunt verò periti sermonis Græci, articuli vel adjectione, vel omissione, multum fieri diversam horum verborum sententiam. Sine articulo, ἐν καταλύματι, sensus esset: Iosepho & Mariæ nullum omninò patuisse diversorium. Germanicè rectè verteris, **in einer Herberg** / vel, **in jrgend einer Herberg**. Sed cum articulo, ἐν τῷ καταλύματι, sic exponitur: adiisse eos diversorium aliquod Bethlehemiticum, atq; in eo, quod ad cætera, exceptos fuisse: sed locum vacuum ibi non esse repertum, qui ipsis ad cubandum concederetur. Germanicè, prout etiam Lutherus rectè convertit, **in der Herberg** / in illo diversorio; nempe quod adierant; & quo utebantur, ad cætera quod attinet. Nec enim insolens est, ut tecto aliquis & rebus ad victum necessarijs excipi queat in diversorio: non autem proprio cubiculo aut lecto: præsertim in tantâ hominum frequentiâ, qualem tum Bethlehemi fuisse ob indictam generalem descriptionem credibile est. Coacti igitur sunt in stabulum jumentorum concedere: quod stabulum diversorio cōjunctum fuisse, aut saltem propinquum, eadem Lucæ verba verisimile reddunt, cùm ait: καὶ ἀνέκλινεν αὐτὸν ἐν τῇ φάτνῃ: *reclinavit illum in præsepio.* Non enim ait, ἐν φάτνῃ, quod Germanicè diceremus **in einer Krippen**: sed ἐν τῇ φάτνῃ, quod verti debet **in die Krippen.** Latinè aliter vertere non possumus, nisi *in præsepi*, neglecto articulo: cujus tamen est hoc loco vis magna. Etsi verò non semper in scripturis articuli urgeri debent: cùm non rarò omissi reperiantur, ubi Hellenismus exactior eos requirebat: nulla tamen adferri causa potest, cur in hac Lucæ narratione non sit exactè habenda illorum ratio. Nam ad historiæ veritatem magnum est in eo momentum: & Lucam, purum Hellenismum aliquanto diligentiùs quàm cæteros Evangelistas observâsse constat.

CAPUT V.

Argumentum Vergerii tertium.

CUjuscunq; narrationis nullum extat vestigium in Actis Apostolorum: cùm tamen non fuerit ulla ratio omittendi: ea fabulosa est.

Atqui in hac narratione multa insunt, quæ Lucam in Actis Apostolorum non omissurum fuisse credibile est, si vera essent: quæ tamen omisit. Ergo.

Quod ad majorem attinet, tradunt quidem Logici, argumentum ab autoritate divinâ sumptum non concludere firmiter negativè: cùm multa sint verissima: sed in sacris tamen literis haud expressa: Verumtamen hoc loco contemnendum illud haud est: quum præsertim appareat, Lucam magnâ diligentiâ annotâsse quædam etiam minora: ut non sit verisimile, eum majora ad eandem historiam pertinentia (qualia sunt, quæ hîc finguntur) omissurum fuisse, si vera essent.

Minor, omissorum enumeratione speciali probatur. Nam in Actis Apostolorum nihil dicitur:

1. Apostolos vidisse, quòd in illâ Camerâ multa divinâ mysteria facta fuerint.

2. Apostolos concordibus votis statuisse eam Cameram in Ecclesiam convertere, in honorem & memoriam Virginis Mariæ: atq; adeo ipsosmet eam consecrâsse ac dedicâsse. Id quod ex eo etiam falsum depræhenditur, cùm non in Actis modò, sed aliis etiam autoribus nullibi legatur, Apostolos ullam Ecclesiam materialem ædificâsse: & Divæ Mariæ, vel aliis Sanctis consecrâsse.

3. Post factam consecrationem Divum Lucam manu suâ concinnâsse pulchram imaginem, similem Beatæ Virgini, & eam in

eam in Ecclesiâ illâ collocâsse: & hanc eam ipsam esse, quæ hodiè Laureti visitur. Quasi verò usus collocandarum in templis Imaginum, Apostolorum ætate vel fando auditus fuerit: quasi cultus Imaginum non pugnet cum divino præcepto: *Non facies tibi sculptile, aut aliquam omninò similitudinem, ut adores eam.*

4. Apostolos in eâdem Ecclesiâ celebrâsse divina officia, Missam scilicet, matutinas & Vesperas.

De his, inquam, omnibus altum in sacrâ paginâ silentium est. Neq; verò quis crediderit, Lucam res tam insignitas insuper habiturum, nec usquam positurum fuisse, si quid veritatis illis inesset. Adde quòd nec Petrus, nec Iacobus, nec Iudas, nec Paulus, qui omnes de doctrinis & rebus gestis in illis initiis & incunabulis nascentis Ecclesiæ scripserunt, ullam mentionem illius Cameræ & ministeriorum ibi factorum fecerunt.

Hactenus autoris argumentum ὡς κεφαλαίῳ propositum. Videamus, quid ad illa Turrianus.

Initiò cùm hîc, tum per sequentia passim, pro Lojoliticâ nimirum suâ modestiâ, nil nisi *Hæreticos* ipse αἱρετικώτατος, *Novatores* veterator crepat: sannis nos & contumeliis incessit. Sicut ij, qui ocymum serunt, fœliciùs id nasci ad convicia interjecta autumant: sic ille suam apologiam rectiùs processuram arbitratur, si talibus eam in nos calumniis & maledictis condiat.

Deinde primam generalem responsionem semel iterúmq; inculcans: *quis*, inquit, *nisi Hæreticus, ista negare audeat?* Hoc cùm legerem, in memoriam subiit, quod de nobili illo scurra, cui ab ululâ & speculo nomen est, memoratur: cùm in aulâ Landgravii Hassiæ pingendi artem professus, gynæceum & aulicos picturas suas spectatum admisisset, dixisse, quòd à nemine,

mine, nisi legitimo thoro natus esset, eæ conspici possint: simúlq; in pariete vacuo nescio quid imaginum demonstrâsse. Cùm ergo nemo spectatorum spurius haberi vellet, omnes picturam (quæ nulla tamen erat) videre se simulârunt. Hoc Eulspiegeliano scilicet artificio mimico noster cum aliis usus sacrificulis, & hanc fabulam, & similes Papistici regni nugas alias, ut possunt, adhuc sustinent: dum scilicet probrosâ Hæretici nominis infamiâ notant eos omnes, qui fidem his talibus abrogant. Ita fore sibi persuadent, ut, cùm nemo facilè velit Hæreticus audire, & Inquisitionis Hispanicæ fidiculas atq; vivicomburium pati, vel exilii certè periculum subire, necessariâ simulatione tegentes impietatem homines in obsequio Papæ retineant. Sed frustrà es, ô Turriane, qui hac hæretici nominis inani larvâ terreri nos autumas, quò minùs hisce fabulis obloquamur. Apud tuos homines aliquam vim hoc argumentum habeat: nos nihil movet: qui rem, rem volumus: & sive Hæretici tibi simus, sive quicquid voles aliud, nihil curamus: modò Veritatem à nostris stare partibus sciamus. *Isthunc thesaurum stultus in linguâ situm*, ex Plauto novimus, *ut quæstui habeant malè loqui melioribus*: & cum Seneca *magnam dementiam putamus, vereri, ne infameris ab infamibus.*

Altera Turriani responsio iterum generalis est, junctim ad omnia Minoris propositionis membra pertinens. Ait enim, ista, etsi nec Actis Apostolorum, nec aliis scripturis divinis inserta sint: tamen ex Apostolorum traditione ad nos usq; pervenisse. Traditionibus autem Apostolicis haud quaquam abrogandam esse fidem, vel ex illo dicto 2. Thess. 2. vers. 15. constare: *Tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Et 1. Ioan. 2. vers. 24. *Quod audistis ab initio, hoc permaneat in vobis.*

Hoc loco etsi de Traditionibus in genere plura dicendi datur

datur occasio: tamen iis semel opponimus *Veritatem* ipsam quasi lucem, falsitatum omnium nebulas illicò profligantem, *quæ*, verbo Senecæ, *in omnem partem sui semper eadem est. Quæ decipiunt, nihil habent solidi. Tenue est mendacium: perlucet, si diligenter inspexeris.* Est autem jam dudum de Pontificiis, quas jactant, traditionibus à nostris Theologis, Chemnicio præsertim à principio Examinis Concilii Tridentini, ita solidè disputatum, ut nemini non satisfactum nisi iis sit, qui oculos obstinati claudunt ad veritatis clarissimum Solem. Quare nolo ista otiosè hìc repetere. Hoc solùm dico, si vel maximè standum Traditionibus esset: tamen hoc nihil ad Bacchum, ut est in proverbio, nec ad Lauretanam domum. Non enim existimo, Pontificios ipsosmet Apostolicis traditionibus nisi illa adscribere, quæ profundæ antiquitatis testimonio stabiliri queunt. Iam verò Lauretana fabula vix, ac ne vix quidem, tribus abhinc nata sæculis, si ullum superioris ab illo temporis suffragium jactare posset,

Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Achivi.

Sed non potest: non, inquam, potest. Ipse Tursellinus, qui omnia tamen ad ornandam Lauretanam genera mangoniorum accuratissimè conquisivit, vi veritatis adactus, in præfationis fine fatetur: *Originem historiæ Lauretanæ haud fermè suprà trecentesimum annum repeti posse.* Subiicit autem, quod valdè ridiculum est: *se nihilominus altiùs illam arcessere velle.* Quomodo altiùs? è somniis nimirum. Nam ex historia quidem certè non potes, quod modò tute fassus es.

Aristoteles alicubi τὺς πρὸς ὀλίγα ἀποβλέποντας, *ad pauca respicientes, faciliùs affirmare* scribit. Id profectò faciunt, qui trium sæculorum vetustatem spectantes, quæ respectu sedecim sæculorum modica est, rem quampiam ad antiquissima Apostolorum usq; tempora referunt, ac Traditionibus Apostolicis annumerant.

Tertia Turriani responsio ipsa quoq; generalis, & æquè frivola est. *Testis*, inquit, *est cunctus Orbis*: sive, ut Baronius in Annalibus Ecclesiasticis de hoc ipso figmento loquitur: *illud monumentum totus Christianus Catholicus Orbis veneratur ac colit.* Meliùs dixisset atq; veriùs: universi nominis Christiani partem illam, quæ Romano Pontifici paret, fidem his habere. Quamquam ne id quidem usquequaq; verum est. Nam etjam inter Romanos Catholicos, etiam in ipsâ Italiâ, multi dubitant: multi aliter sentiunt: sed quod sentiunt, publicè profiteri, metu impediti, non audent. Porrò qui Papam agnoscunt Christiani quantula pars sunt universi nominis Christiani? Aliter sentire, ridiculus & plusquam puerilis est error. Imò quamvis altero tanto latiùs pateret regnum Papæ: tamē errantium multitudo nullum errori patrocinium contra veritatem párere potest.

Quarta responsio est specialis, ad secundum præcipuè Minoris membrum pertinens, ubi dictum est à Vergerio: Apostolorum tempore nulladum templa: multò minùs istas mimicas templorum consecrationes in usu fuisse: proindéq; Nazarethicam illam domum in templum ab Apostolis consecratam falsò credi. Quod ut meliùs intelligatur; & allatæ à Turriano responsionis absurditas tanto clariùs patescat: altiùs aliqua de templorum apud Christianos origine repetenda sunt. Atq; illud initiò constat, celebrâsse quidem Apostolos suo tempore sacros conventus, in locis & ædificiis certis: sed ea pro illorum temporum conditione non ubiq; fuerunt eadem. Convenerunt enim cùm in templo Hierosolymitano, Actor. 2. 5. 21. tum in Synagogis Iudæorum, Actor. 9. 13. 18. tum etiam in privatis fidelium ædibus, Act. 1. 2. 4. 5. 10. 12. 20. 28. Alioqui de magnificè aliis in locis, præter Hierosolymitanum, extructis Christianorum templis, de eorum ornamentis

& alta-

& altaribus, de dedicationibus & consecrationibus templorum, de nominibus & differentiis eorum, nihil usquam vel in scriptis Apostolorum, vel certis & probatis eorum temporũ autoribus reperies: quæ omnia sæculis Apostolorum ætatem consecutis, partim Iudaismi, partim Gentilismi superstitiosâ κακοζηλίᾳ inventa & excogitata sunt. Polydorus Virgilius lib. 5. de inventoribus rerum cap. 6. à nobis stat: quem autorem Pontificii, ut domesticum, aspernari non possunt. *A Christi statim ascensu*, inquit, *in cœlum, Iudæi cœperunt Christianos crudeliter persequi: deinde Nero princeps: deinde Domitianus: deinde alii: & postremò Diocletianus ac Maximianus acerbissimè afflictârunt. Quo ferè toto temporis intervallo tantum aberat, ut aliquod templum à nostris Christianis publicè ædificaretur: ut etiam omnia essent occulta; & sacella potiùs, atque eadem abdita, & plerumque subterranea, quàm apertis atque publicis in locis fierent.* Hæc ille: quæ adeò vera sunt, ut Tertullianus, vetus autor, palàm affirmet, etiam suo tempore Christianis alia templa non fuisse, quàm simplices domos, in quibus fideles congregarentur. Claruit autem Tertullianus sub Pertinace Imperatore, sub initium sæculi à nato Christo secundi. A quo tempore cùm res Christianorum, cessantibus sævissimis persecutionum procellis, indies se meliùs habere cœpissent, templa & ἐυκτήρια seu Orationum domus majores magnificentioresq; quàm hactenus illis licuerat, condere primùm cœperunt, testante id Eusebio lib. 8. cap. 1. & Nicephoro lib. 7. cap. 2. Constantino autem Magno post initium sæculi tertii ad Imperium promoto, tum demum cœperunt ubivis locorum, vel gentilium templa in usum Christianorum converti: vel nova ex fundamentis magnificentissimè splendidissiméq; ædificari: ídq; mandato Constantini Imp. cujus eâ de re decretum recitat Eusebius lib. 2. de ipsius vitâ. Constantinum Ma-

gnum imitati sunt sequentes Imperatores: inter quos non postremus est Imp. Iustinianus, de quo Zonaras tomo 3. scribit, quòd adeò præpostero extruendi templa zelo ac studio flagrârit, ut etiam stipendia Professoribus liberalium artium jam olim constituta in omnibus urbibus sustulerit, ut haberet quos pro libidine suâ in non necessarias templorum structuras sumptus profunderet. Qua immodicâ religione ac liberalitate illud effecit, ut vacantibus literarum ludis, barbariæ simul & rusticitati plurimis in locis occasionem dederit. Autores autem primi templorum per Galliam & Germaniam, fuerunt Reges Francorum, Clodovæus, item Clotarius & Childebertus, circa annum Domini 542. Deinde Dagobertus, circa annum 630. inprimísq; Carolus Magnus, initio sæculi octavi: de quo refertur, quòd tot monasteria & templa extruxerit, quot sint Latinorum elementa: quódq; cuilibet elementi vocem indiderit.

Cæterùm etiam illa consuetudo post annos Domini 500. increbuit, ut ex quorundam privatorum hominum domibus templa extruerentur (quomodo hîc D. Mariæ Nazarethicam domum in templum conversam esse fabulantur) Adeò invaluit superstitio. Factum hoc etiam ab ipsis ad Ethnicorum imitatione. Timoleon enim ille Corinthius, qui Dionysii regnum evertit in Siciliâ, paternam quoq; domum in templi usum convertit, ut ex Plutarcho refert Sabellicus lib. 4. cap. 2. In Metaponto Pythagoræ tanta fuit admiratio, ut ex domo ejus templum fecerint, Iustino teste lib. 20. cap. 4. Domitianus quoq;, Suetonio autore, domum, in qua natus fuit, in templum Flaviæ gentis convertit.

Quòd autem Apostolorum, & mox secutis temporibus extructa templa, aut privatæ domus in usum templorum dedicatæ & consecratæ fuerint, si ullo fide digno testimonio confir-

confirmare Turrianus potuiſſet, nõ omiſiſſet utiq;. jam quia non poteſt, ne nihil tamen reſpondiſſe Vergerio videatur, adfert initiò dictum Eſaiæ cap. 56. verſ. 7. *Domus mea, domus orationis vocabitur cunctis gentibus.* Deinde Aggæi 2. verſ. 8. *Ego implebo domum iſtam gloriâ, dicit Dominus Exercituum, &c.* Ex quibus ineptè concludit, templa materialia etiam ab Apoſtolis cõſtructa, proindéq; Nazarethicam domum jam tum cultam fuiſſe. Deniq; pondus addit ab autoritate Cyrilli, loca iſta explicantis: quæ Turrianum tamen adeò non juvat, ut refellat etiam. Nam Cyrillus toto illo orationis contextu, quem huc tranſſcribere nimis longum foret, hoc agit, ut ad ſpiritualem omnia referat Eccleſiam: materialis autem (de qua nobis eſt ſermo, quæq; propriè Templum dicitur), ne meminerit quidem. Admodum igitur inſcitè Templum & Eccleſiam inter ſe confundit Turrianus, & hanc pro illo accipit: cùm tamen Eccleſia non ædificium templi propriè: ſed ipſa populi concio ſeu cætus Chriſtianorum ſit. Vt meritò poſſimus iiſdem verbis Ieſuitam inceſſere, quibus jam olim Iſidorus Pelusiota, Chryſoſtomi diſcipulus, invectus eſt in Euſebium, Epiſcopum ſuperciliosum, nullâ virtute conſpicuum, ſolâ Epiſcopatûs dignitate ſuperbum, lib. 2. epiſt. 246. *Diſcat Euſebius,* inquit, *Peluſiotarum Antiſtes, quid ſit Eccleſia. Eſt enim abſurdiſſimum & valdè indignum, cùm ne id quidem nôrit, ut ſe tamen Epiſcopum eſſe exiſtimet. Quòd enim cætus Sanctorum, ex rectâ fide optimâq; vivendi ratione collectus, Eccleſia ſit, ſapientibus conſtat. Id quod ille ignorans, veram Eccleſiam* (τὴν ὄντως ἐκκλησίαν) *deſtruit, multis offendicula præbendo: templum autem* (τὸ ἐκκλησιαστήριον) *extruit. Ac illam quidem ornatu ſpoliat, probos viros expellens: hoc autem magnificis marmoribus exornat. Quod ſi probè ſciret, aliud eſſe Eccleſiam, aliud* ἐκκλησιαστήριον *ſive, templum (illa enim ex immaculatis animis conſtat: hoc autem la-*

pidibus & lignis exædificatur) sic existimo, eum finem facturum esse illam evertendi: hoc impensiùs, quàm par est, exornandi. Et paulo pòst: *Illud ex me discat Eusebius, quòd* APOSTOLORUM TEMPORE, *cùm Ecclesia spiritualibus gratiis abundaret,* NULLA TEMPLA ERANT (Nota mihi hoc Turriane) *At nostrâ tempestate templa plusquàm par sit, exormata sunt: Ecclesia autem, ne quid graviùs dicam, comicis cavillis incessitur.*

Quinta responsio pertinet ad tertium Minoris propositionis membrum, ubi de imagine D. Mariæ. Brevis hîc Turrianus est, ut in desperatâ causâ. Ait: *Cherubinos etiam in veteri Testamento sculptos, & in templis positos.* Rectè: sed non ad cultum, ut vos facitis. Quid quòd illud quoq; fabulam resipit, imaginem B. Mariæ à Luca depictam, illam præcipuè, quæ hodiè Loreti visitur. Nam S. Lucas non Pictor, sed medicus à D. Paulo vocatur, ad Colos. 4. vers. 4. Et si fuit, ut fuit, Iudæus, ac è septuaginta discipulorum numero; non est verisimile, pictorem eum fuisse: cùm apud Iudæos hæ artes non fuerint in usu, ut ex lib. 4. Origenis contra Celsum intelligitur. Is verò beatissimam Virginem orationis & eloquentiæ suæ, qua cæteris omnibus præstare visus est, coloribus depinxit: alio autem modo eam depingere, næ illi haud fuit otium. Accedit, quòd hanc ipsam imaginem ostendunt etjam Romæ in templo S. Mariæ majoris. quod in aliis quoq; reliquiis, mirâ quadam fæcunditate se multiplicantibus, tralatitium apud Pontificios esse, jamdudum Orbi cum eorum ludibrio & imposturæ detestatione innotuit. Nisi fortè dicant, Lucam plures imagines pinxisse. Quomodo etiam in Ecclesiâ Constantinopolitanâ fuisse imaginem Deiparæ Virginis à Luca depictam, cui templum struxerit Pulcheria, autor est Nicephorus Callistus lib. 14. cap. 2. sed id eâdem fide facit Nicephorus, qua ibidem refert, Eudociam Pulcheriæ tac

D. Mariæ

D. Mariæ misisse: cujus tanta copia etiamnum passim ostenditur à sacrificulis, quantum vix credibile est esse posse uni mulieri uniparæ, etiamsi nihil bibisset infans: ut festivè Roterodamus inquit in Colloquiis.

De Constantinopolitanâ illâ imagine libet in transitu notare quæ Vincentius nugatur lib. 23. cap. 147. *Fertur*, inquit, *Saracenos hoc modo periisse apud Constantinopolin: In monasterio Sanctæ Dei genitricis juxta palatium, prope S. Sophiam, erat imago B. Mariæ, quæ tenebat infantem in brachio, quam depinxit in tabellâ S. Lucas, cùm adhuc viveret S. Maria. Hæc imago vocatur Odigitria, id est, deductrix: quia duobus cæcis apparuit S. Maria, & deduxit eos ad suam Ecclesiam, eósque illuminavit. Cum istâ imagine faciunt processionem omni die Martis per totam civitatem. Cùm ergo obsessa esset civitas, & cives jejunarent, & orarent simul & pugnarent: quidam civis admonuit adferri illam imaginem, & ab omnibus orationem ad illam fieri hoc modo: Sancta Dei genitrix, quæ toties nos liberâsti: libera nos modò de inimicis filij tui: & si vis, ut imaginem tuam non mergamus in mari, merge illos. Et cùm hæc dixissent, ille secretò imaginem tenuit sub undis: & statim procella surrexit, & omnes naves Saracenorum aut mersit, aut fregit.* Hæc ille: quæ, si sic gesta sunt: siq; mendacis hujus imaginis cultum hoc tanto miraculo confirmavit Satan: Turrianus ita posthac argumentari desinat: *in domo Lauretanâ miracula fiunt: Ergo verè Nazarethica illa D. Mariæ Camera est.* Quo de argumēto copiosiùs agetur infrà. Interim istam Byzantinorum precandi rationem conferant, quibus ridere libet, cum eo quem Chinensibus tribuit Consalvus Mendoza in descript. Regni Chin. lib. 2. cap. 4. & Alexander Valignanus in admirandis illius regni, adjunctis ad epistolas Indicas Maffeii. Nec hodiè mos iste vulgo rusticorum ignotus, qui Sancto Vrbano (vicebaccho) eo ritu sacra faciunt: imò Va-

scones

ſcones ipſi crucifixo Chriſto, teſte Bodino lib. 2. dæmonom. cap. 8.

Sexta reſponſio pertinet ad quartum & ultimum Minoris membrum: ubi Turrianus fatetur, per *officia divina* celebrata in domo Nazaretho-Lauretanâ, intelligi *Miſſam*, quod vetus & Apoſtolicæ traditionis vocabulum ſit: itémq; *horarum preces*, manè tertiâ, ſextâ, nonâ, veſpere & mediâ nocte ad galli cantum recitari ſolitas, quæ omnia jamdum Apoſtolorum tempore in uſu fuiſſe dicit: dicit ſcilicet, non probat. Et ut maximè probaret: id tamen ἀπροσδιόνυσον eſſet. Nam hoc oſtendendum eſt, in Actis, vel Apoſtolorum ſcriptis aliis, talium ſacrorum in Nazarethicâ domo peractorum mentionem fieri. Vt autem falſitas hujus, quantumvis à re alienæ, reſponſionis appareat: nos Miſſæ primò nomen videbimus: deinde ejuſdem quam jactat antiquitatem excutiemus.

Miſſam Apoſtolicæ traditionis vocabulum inquis eſſe. O hominem peponeinſulſiorem! Adeò enim hoc nomen antiquiſſimum non eſt, ut apud probatos autores, qui per annos trecentos poſt Chriſtum, & ampliùs, ſcripſerunt, nullum ejus extet ſatis certum veſtigium. Novi quidem, Baronium & Bellarminum hanc vocem in Pio Papa primo (qui vixit circa A. D. 156.) oſtendere. Sed Cardinalis Cuſanus, aliiq; Pontificiarum partium viri docti, jam dudum demonſtrârunt, non ſolùm illius Pii I. ſed & cæterorum omnium Paparum primi ſecundíq; à nato Chriſto ſæculi, ac ferè etiam tertii, ſcripta, ſcilicet quæ ſub eorum nominibus circumferuntur, eſſe nomina ὑποβολιμαῖα, qualis Lauretana tua eſt, hoc eſt; adulterina, & à planis atq; impoſtoribus profecta. Illud verò magis ridiculum eſt, quòd hanc vocem, Hebraicam vel Chaldaicam eſſe, ſine ulla ratione aut teſte aſtruunt, à Iacobo Apoſtolo primitùs Eccleſiæ traditam. Omninò enim vox *Miſſa*

originem

originem Latinam habet: aliis omnibus linguis incognita, nisi quæ à Latinâ acceperunt, ut Græci posteriores. Unde Meursius illam in Lexicon Græco barbarum quoq; retulit. Hoc ipsum etiam Polydorus Virgilius, homo pontificius lib. 5. de Inventoribus rerum cap. 12. confirmat. Sunt viri eruditissimi, qui existiment, primò *Missas*, aut neutro genere, *Missa* dictum fuisse: propriéq; vocem eam oblationes significare, quæ vel offerebantur, vel mittebantur, & sacræ mensæ imponebantur. Sed aliorum verior est sententia, quibus Missio, vel, quod idem est, Missa, propriè est ἄφεσις, hoc est, dimissio: quam vocem Græcis olim in dimittendâ concione fuisse usitatam, ex Plutarcho & aliis scriptoribus constat. Sic in judiciis Romanorum, cùm præco clamabat, ILICET, hoc est, ire licet, judicibus facta potestas intelligebatur abeundi. Inventum autem est Missæ nomen circa finem, ut videtur, tertii à Christo sæculi, vel paulo antè. Nam si vera est epistola Cornelii Papæ ad Lupicinum Viennensem, circa annum Domini 250. notum jam erat istud vocabulũ. Reperitur etiã aliquando apud Ambrosium, & alios illorum temporum auctores; sed alio sensu, quàm hodie usurpatur ab iis, quibus Missa communio non est, verùm acroama duntaxat & spectaculum. Nam veteribus autoribus is dicitur *audire Missam*, qui & liturgiam audit, & simul communionem sumit. Quomodo etiam Eusebius lib. 7. histor. Ecclesiast. cap. 9. εὐχαριστίας ἐπακοῦσαι (*missam audire*) de eo dixit, quem narrat communicâsse. Post tempora Ambrosii & Augustini adeò increbuit hujus vocis usus, ut administrationem cænæ Dominicæ sæpissimè per dictionem Missa exprimerent. Qui ut repræhendi eo nomine jure non possunt, quos certum est locutos esse cum hominibus sui sæculi: ita excusari eorum nequit sinisteritas, quibus id verbum apud ejusmodi autores inventum, firmum videtur ar-

gumentum ad defensionem opinionum multò pòst exortarum. Id quod certè noster Turrianus hoc loco facere nititur.

Is enim (ut ad alteram responsionis partem, & à Nomine ad Rem veniamus) ex antiquitate vocabuli Missæ vult ipsam quoq; rei antiquitatem demonstrare: adeóq; ad ipsa Apostolorum tempora, & suppositiiam illam Deiparæ Cameram referre. Sed ô hominem (iterum enim hoc exclamare libet) pepone insulsiorem! vel potiùs qui peponem pro corde habeat. Nam profectò illius mimici spectaculi, quod hodiè Missam appellant, nec vola, nec vestigium extat in antiquitate synceriore: ac sæpiùs est ostensũ, quos Pontifices hoc mõstrum fabros habuerit: quos quisq; panniculos ad hunc centonem assuerit. Id quod ex Platina ipso in vitâ Sixti I. breviter hîc annotare visum. *Nuda*, inquit, *hæc erant, & omnia simpliciter tractabantur. Petrus enim ubi consecraverat, oratione Dominicâ usus est. Auxit hæc mysteria Iacobus, Episcopus Hierosolymitanus: auxit & Basilius: auxêre alij. Nam Cælestinus, Missæ introitum dedit: Gregorius, Kyrieeleison: Telesphorus, Gloria in excelsis Deo: Gelasius I. collationes: Hieronymus Epistolam & Evangelium: Alleluia sumptum est ex Ecclesiâ Hierosolymitanâ: Mortuorum commemorationem Pelagius invenit: thus Leo III. Osculum pacis Innocentius primus: ut caneretur Agnus Dei, Sergius Pontifex instituit.* Hæc Platina. Et profectò piaculum fuerit, sanctissimis & gravissimis Apostolis histrionicas illas atq; gesticulatorias nunc usitatæ Missæ ineptias adscribere velle, quas Sleidanus sub finem libri 21. graphicâ hypotyposi depingit. *Cùm*, inquit, *sacrificuli Missam totos jam 21. annos intermissam, Argentorati rursus inchoarent, ingens erat hominum concursus, maximè juventutis. Nam his omnibus novum erat spectaculum & inauditum, multos ibi, raso vertice, novo genere vestitûs, cantare simul quæ nemo intelligat: cereos atq; lampades ardere*

in ipsâ

in ipsâ, quod dicitur, meridie: fumigationes atq; suffitus excitari thuribulis: sacrificum adstare cum ministris ad aram: pronunciare omnia sermone peregrino: Varijs uti geniculationibus atq; gestibus: inclinari strictis manibus: modò distendere, modò reducere brachia: subinde sese convertere: nunc esse clamosum, nunc magno silentio quædam demurmurare: suspicere in altum: esse pronum: consistere non uno loco: nunc in dextram, nunc in lævam partem altaris commigrare: micare digitis: inhalare in calicem, eúmq; tollere in sublime, postea reponere: certis locis nominare nunc vivos, nunc mortuos: panem azymum frangere, & in calicem immittere: pectus ferire pugno: suspirare: clausis oculis repræsentare somnum: rursus expergisci: manducare partem unam panis, alteram haurire cum vino totam, ne qua guttula remaneat: abluere manus: patellam deauratam, aversum, extenso brachio, demonstrare populo: admovere eandem fronti atq; pectori: deosculari nunc altare, nunc imagunculam materiæ vel metallo inclusam. Hæc, inquam, & id genus alia, juventus non sine admiratione & stupore, neq; sanè sine risu spectabat. Hactenus Sleidanus. Ex quibus apparet, quòd novi commatis hæc moneta sit, & nequam: ut ut Turrianus lupinos istos pro ære nobis obtrudat atq; provulget: & ad ipsa usq; Apostolorum tempora reducat.

Cui quidem culpæ affinis etiam est Petrus Rœstius Iesuita, dum in suo, quod vocat, pseudojubilæo, cap. 12. artic. 15. Missam ætate Apostolorum celebratam esse probat ex illis S. Lucæ verbis, Act. 13. vers. 2. λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ Κυρίῳ: & quod valdè mirum est, Erasmum (minimè charum alioqui sibi suæq; sectæ caput) hujus sententiæ testem laudat, ista sic interpretantis: *Sacrificantibus verò illis Domino, &c.* Frustrà. Nam neq; Lucæ λειτουργεῖν, nec Erasmo *Sacrificare*, missificare est. Lupum ajunt causâ discẽdi literas ad scholam missum, ubi quævis litera ipsi Schaf sonabat. Possis Rœstium alióśq;

Missifices, hac quidem parte, cum isto lupo conferre. Nam & illi, ubicunq; λειτουργίας aut *Sacrificij* vocem legunt, nil nisi Missam suam notari autumant, quam, ut cor & animam Papismi, perpetuâ cogitatione versant. Sed hæc ipsis opinio minuenda, & argumenti Rœstiani rubigo detergenda paucis est. Novit initiò Rœstius, nosse certè debet, ex Hesychio, λήϊτον olim appellatum fuisse τὸ δημόσιον : ac proinde ληϊτουργεῖν vel λειτουργεῖν primâ notione esse, *opus publicum facere*. Apud Aristotelem lib. 4. politic. λειτουργεῖν περὶ τὰς ἀρχὰς λειτουργίαν dicuntur magistratus qui Rempub. curant. Dicitur λειτουργεῖν etiam ille, qui artem aliquam exercet, aut negotium curat, ex quo ad publicum aliqua redit utilitas. Quomodo apud eundem Aristotelem lib. 7. politic. τεκνογονία, liberorum procreatio & educatio, species est τῆς λειτουργίας. Interdum quævis ἐργασία & operæ præstatio, etiam inhonestæ, λειτουργία vocatur: ut in Novellis Iustianeis, meretrices τὴν ἀνοσίαν λειτουργίαν πληροῦν, turpem operam præstare dicuntur. Sed ut autores τοὺς θύραθεν omittam : videamus quam hæc vox apud rerum sacrarum Doctores significationem obtineat : quæ sanè non uniusmodi est. D. Paulus ad Rom. 15. vers. 27. λειτουργεῖν ἐν τοῖς σαρκικοῖς, ministrare alicui in rebus carnalibus. In eâ ad Philipp. cap. 2. vers. 25. λειτουργὸς & λειτουργεῖν non multò aliter usurpantur, de officiis privatim Paulo exhibitis. Ad Hebr. 1. vers. ult. Angeli dicuntur λειτουργικὰ πνεύματα, ministratorii spiritus. Imò in eadem epist. cap. 8. vers. 6. ipsi Christo λειτουργία tribuitur: & Rom. 13. vers. 6. magistratibus quibuslibet: atq; adeò Claudio & Neroni, qui tum temporis imperabant. Cùm ergo λειτουργία tam latè pateat, valdè fugit ratio Rœstium & alios, qui ad Missaticum illam sacrificium astringunt ; nisi fortè & Angelos, & Christum, & Principes, Missatores facere velint. Usus quidem Ecclesiæ vocem communem peculiariter

riter

riter aptavit ministerio & cultui, qui publicè Deo exhibetur: sed hîc quoq; multiplex diversitas est. Apud Dionysium Areopagitam in Ecclesiasticâ hierarchiâ λειτουργοὶ sunt Diaconi: ut ἱερεῖς sacerdotes: ἱεράρχαι Episcopi. Aliis Patrum, omnes Ecclesiæ ministri dicuntur λειτουργοὶ. Vt & λειτουργεῖν ipsis est, quodvis circa res sacras ministerium obire: putà orare, Scripturas recitare aut interpretari, concionari, Sacramenta administrare. Ab hac ratione dictæ sunt LITURGIAE descriptiones quædam ordinis servandi in sacris celebrandis, quas Latini vocant *Ordinem agendi* vel *Officium*: cujusmodi sunt, quæ hodiè circumferuntur sub titulis partim veris partim falsis, Petri, Iacobi, Andreæ, Basilii, Chrysostomi, & similes. Quemadmodum autem vetustissimo Christianorum instituto res divina dividitur in cultum matutinum & vespertinū: ita in Patrum libris fit mentio Liturgiæ matutinæ & vespertinæ. Obtinuit tamen, ut Liturgia peculiariter dicatur, quæ celebrationem corporis Christi continet. Itaq; Iustinianus Novellâ 7. ἱερὰν λειτουργίαν describens, duas illius partes commemorat: ἀνάγνωσιν τῶν θείων γραφῶν, καὶ μεταδίδοσιν τῆς ἱερᾶς καὶ ἀῤῥήτου κοινωνίας, recitationem divinæ scripturæ, & sacræ ac ineffabilis communionis dispensationem. Quum igitur tot & tam diversis modis accipiantur voces λειτουργία & λειτουργεῖν, tam in Scripturis, quàm apud Patres, puerilis & prorsum vanus est Rœstii conatus, locū illum Actor. 13. vers. 2. ad Missæ sacrificium trahentis. Cúmq; in aliis subinde Patres suos jactitet: cur non & hîc saniorem D. Chrysostomi secutus est interpretationem, qui homil. 27. in act. Apost. in illo loco τῶ λειτουργούντων, exponit κηρυττόντων αὐτῶν, hoc est, PRAEDICANTIBUS illis, unam sacri ministerii partem nominans, ex qua cæteræ intelligerentur. Omninò enim vox λειτουργεῖν generalis est, ex qua ad unam aliquam determinatam speciem (præ-

sertim ad speciem multis pòst sæculis adjectã, scilicet histrionicum illud Missæ sacrificium) si Rœstius argumentari velit, mihi quoq; sic inferre licebit: *Ræstius est animal: Ergo Ræstius est asinus.* Non quòd mihi talis sit, doctum enim virum arbitror, sed certè eadem utrobiq; consequentiæ ratio est. Hæc ita certa sunt, ut jam incipiat pudere viros eruditos è Pontificiis ejus interpretationis, quam pedibus manibúsq; Baronius, Bellarminus, & qui ex istis hausit Rœstius, ac tot alii mordicus defenderunt. Nuper enim Benedictus Iustinianus Genuensis Iesuita in explanationibus Paulinis sui illos omnes erroris admonuit. Locum illum D. Chrysostomi eò libentiùs adduxi, quòd viderē, Rœstium Theologos nostros, ludos facere: quos nunquam aliter, nisi Prædicantes appellat. Quod enim ille pro Iesuiticâ φιλοσκωμμοσιώνῃ tanquam convitium & opprobrium objectat, eam illi laudem sibi maximam ducunt: malúntq; Christi & Apostolorum exemplo simul atq; præcepto esse PRAEDICANTES, quàm cum hostibus Evangelii MISSIFICANTES.

CAPVT VI.

Argumentum Vergerij quartum.

VT prius argumentum ad Apostolorum tempora pertinet: ita hoc ad insecuta tempora refertur. *Domûs Nazarethicæ vetustiorum nemo meminit. Ergo fabulosa illa narratio est.*

Antecedens iterum demonstratur enumeratione veterum autorum, qui nullo modo illa, si facta, non ficta essent, omissuri fuisse videntur.

Primùm enim successit Apostolis Clemens: successit Dionysius: successit Polycarpus, Ignatius, Irenæus, Quadratus, Evodius, Hippolytus: omnes clari scriptis, in quibus de rebus

bus

bus gestis Apostolorum non pauca attigerunt: sed nullum verbulum de illâ Camerâ, ejúsve consecratione, vel imagine, vel divinis officiis illic celebratis, adducunt.

Deinde post aliquot sæcula, Ecclesiasticæ historiæ scriptores, Eusebius Episcopus Cæsariensis, Ruffinus Aquileiensis, Theodoretus Cyrenensis, Sozomenus & Socrates Constantinopolitani, aliiq;, de rebus istis nullam planè mentionem fecerunt: cùm tamen quædam alia attigerint de Christo & Apostolis, de quibus in sacris literis nullum extat verbum.

Tertiò, successit istis historiographis B. Hieronymus: qui cùm Bethlehemum, cæteráq; loca, Christi, Divæ Mariæ & Apostolorum vestigiis nobilitata ipse incoluisset, tamen de istâ domo, ejúsq; in Ecclesiam conversione ne verbum quidem attingit: diligentissimus aliâs talium scrutator, præsertim in epistolâ 72. benè longâ ad Eustochium.

Quartò, post tempora Hieronymi, anno Domini circiter 700. vixit Nicephorus ille Callistus, superstitiosus alioqui scriptor, ut ferè solent Græci. Is in historiâ suâ recitat ingentes fasces rerum quarundam levicularum, de S. Ioachimo, de S. Anna, de S. Iosepho: de educatione, formâ, staturâ, ætate Virginis Mariæ: præterea de miraculis ejus, de morte, funere, resurrectione, atq; adeò corporali in cœlum ascensu. Et tamen, cùm ita diligens fuerit, ut ea etiam voluerit recensere, quæ numquam fuerunt, numquam illi in mentem venit ullius Ecclesiæ, quæ fuerit ab Apostolis in honorem Virginis Deiparæ consecrata. At quo pacto potuisset hoc silentio præterire, si eo tempore, quo suam illam laboriosissimam historiam, 18. libris comprehensam scripsit, de eâ Ecclesiâ subodoratus aliquid fuisset.

Ad hoc argumentum Vergerii si quis Turriani responsum expectat, frustrà expectat. Nam pars illa, qua alioqui Iesuitæ

fuitæ Viri esse solent, lingua inquam, hîc ei planè funerata est. Agnoscit nimirum argumenti pondus, quod Sophisticæ strophis eludi se minimè patitur. Baronius in Annalibus eodem argumẽti genere probare nititur, Papissam Ioannẽ octavũ, an octavã, cathedram Petri nunquã insedisse, eò quòd multis annis post ea tempora, quibus id factum traditur, nullus historicorum quicquam eâ de re memoriæ tradiderit. Verba lubet adscribere. *Silentium*, inquit, *ipsum tanti temporis, de re tanta, tot emergentibus tantum nefas declamãdi occasionibus, plusquam mille dixeris iuratos testes esse ad certam exploratámq; fidem faciendam de fabulæ vanitate & falsitate. Certè tam amici facinus horrendum detestando, quàm hostes exprobrando, centies proclamâssent.* Quanto verò potiori iure, iisdem Baronii verbis de Lauretanâ pronunciare liceat: *Silentium ipsum tanti temporis de re tantâ, tot emergentibus tantum miraculum declamandi occasionibus, plusquam mille dixeris iuratos testes esse ad certam exploratámq; fidem faciendam de fabulæ Lauretanæ vanitate ac falsitate.* Quam concludendi rationem procedere, Baronii non procedere, ex eo perspicitur; quòd primò silentium historicorum de Nazarethicâ Mariæ domo, plusquam decem sæculorum est: de Papissâ verò illâ non multò plusquàm septuaginta annorum. Deinde Nazarethica domus nec scriptis, nec famâ tanto illo temporis intervallo cuiquam hominum innotuit: Papissa verò si non scriptis historicorum, tamen publicâ famâ celebrabatur. Id quod ex Ranolpho Flaviacensi, Ordinis Benedictini Monacho, colligitur, qui paulò plusquã septuaginta, post rem gestam annis primus eam scripto prodidit libro 5. polycronici capite 32. ubi hanc historiam superioribus minimè ignotam, verùm ob deformitatem facti omissam fatetur. Tertiò Nazarethicam tam diu tacendi, ac non potiùs maximoperè prædicandi vulgandíq; causa nulla fuit: fuit

fuit autem longè maxima, Papissam puerperam occultandi, ea nimirum, quæ modò ex Ranolpho fuit allata, *facti deformitas*. Vnde perquam ineptum ac frivolum est (nam & hoc transeuntes adiiciemus) argumentum Petri Rœstii Iesuitæ in pseudojubilæo, seu potiùs Christiani Iubilæi nostri pseudo-elencho, cap. 30. artic. 9. *Anastasius & alij, ita Pontificum seriem texunt, nullus ut sit locus fœminæ inter Pontifices. Ergo fœmina nulla fuit Pontifex.* Possum ex Zonaræ tomo 3. possum ex aliis autoribus ostendere, ἐκ τῶν διπτύχων, hoc est, ex commentariis publicis, qui nomina hierarcharum complectebantur, expunctos eos, qui thronum vel illegitimè conscenderant, vel occupaverant indignè. Quid mirum ergo, mulierculæ quoq; nomen ab aliquibus ex catalogo Pontificum erasum? Illud verò multò magis ridiculum ac putidum est, quòd hanc historiam Papissæ Rœstius ibidem inter mendacia Prædicantica refert. Certè mendaciloquentissimorũ Iesuitarum impudentiam Orbi notam Prædicantes supergressos oporteret, si tale quid ex se confinxissent. Non fecerunt: è vestris, vestris inquam hominibus hauserunt, & quidem talibus, qui causam, cur mentirentur, nullã habuerunt: imò qui ferè Pontificibus obligati fuerunt. Et quia D. Bechtoldum nostrum accusas, quòd nullos gestæ rei testes citaverit (id quod non potuit, nec sanè debuit, in illâ synopticarum thesium angustiâ facere) age, Rœsti, Bechtoldi vices explebo, & è pluribus aliquos tibi producam. Ex iis primus non Martinus ille Polonus est, quod tu mentiris, dum alios mendacii accusas: sed quem antè nominavi, Ranolphus Flaviacensis, Monachus Benedictinus: non ille quingentis, quod tu rursum de Polono mentiris (solùm enim quadringenti sunt) verùm septuaginta tantùm & quod excurrit annis ætate Papissæ posterior. Polonum item antecesserunt, Marianus Scotus, Monachus Fuldensis: Sige-

bertus Gallus, Abbas Gemblacensis: & Richardus, Monachus Cluniacensis, testes locupletissimi. Nam quod tu de Sigeberto scribis, à Calvinistâ corruptum, cùm vetusta exemplaria nihil de illâ fœminâ dicant: rursum τετράπηχυ mendaciũ est. nisi fortè corrumpere vocas, restituere per vos vestriq; similes ablata, qui supra Persicum scelus euntes, expurgatoriorum indicum novaculâ meliorem optimorum autorũ partem exscinditis. Sigebertus Parisiis excusus est A. D. 1513. quo tempore neq; Calvini, neq; Calvinistarum nomen auditum. Martinum deinde Polonum ingenti numero sunt secuti, Franciscus Petrarcha, Ioannes Boccatius, Antoninus Archiepiscopus, Otto Frisingensis, Wilhelmus Occam, Raphaël Volaterranus, Chalcondylas, Platina, Sabellicus, Iac. Phil. Bergomensis, Baptista Mantuanus, Matthæus Palmerius, Trithemius, Stella, Nauclerus, Agrippa, Krantzius, Rolevingus Carthus. Cœlius Rhodiginus, Ioannes Lucidus, Christianus Massæus, Casparus Vrsinus, & ut alios omittam, liber deniq; Romanarum indulgentiarum, anno 1515. Romæ editus, in quo Romani ipsi affirmant, Angelum huic Papissæ uterum gestanti apparuisse, ipsiq; optionem eligendi pœnam aut temporaneam aut æternam dedisse: illam verò pudorem temporariũ elegisse. Quamquam non his modò testibus, sed & signis atq; vestigiis evidentissimis aliis firmatur hujus historiæ fides, quã, nisu rumpamini licet, elevare, vel ex hominum animis eradere non potestis. Verùm hac de re alibi. Interim argumenti Vergeriani occasione in excursum abreptus, paucis hæc monere volui; non quòd Prædicantes nostri defensione meâ cõtra Missificantium criminationes egeant: sed nimirum ut ex hoc ùno Rœstiani scripti loco cætera velut ex ungue leonem noscere liceret. Nam profectò si mendacia illi libro calumniásq; detraxeris, nihil reliquum feceris. Sed ἐπανίτέον.

Quando-

Quandoquidem, ut occupavi dicere, Turrianus, historicorum quos producat inopiâ, ad argumentum propositum obmutuit: succenturiatus illi Tursellinus, ne causæ defuisse videretur, imposturam omni antiquitatis testimonio destitutam defendere quàm fateri malens, in pseudohistoriâ suâ Lauretanâ (quam, non minùs ac Amadisius suam, successu temporis veram ac probabilem habitum iri confidit) historicos, qui domûs Lauretanæ meminerint, tres nominat. quos tandem? Flavium Blondum, Baptistam Mantuanum, & Fratrē Leandrum. Sed ô ridiculum caput! Quantæ enim quæso væcordiæ est, rem ante sedecim sæcula factam, scriptorum heri & nudiustertius natorum autoritate roborare velle? Quamquam non hac modò causâ testes isti, in hac quidem controversiâ, sunt intestabiles habendi: sed accedunt insuper aliæ.

Gravis est de sui temporis historicis querela Thucydidis in libri 1. procemio dicentis: *Homines, quæ de rebus præteritis audiverunt, nullâ prorsus examinatione adhibitâ* (ἀβασανίστως) *à se invicem accipiunt.* Et paulò pòst: *A plerisq; studium veritatis negligitur* (ἀταλαίπωρος ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας) *dum obvia quæq;, & quæ magis in promptu sunt, consectantur.* Ad quæ Thucydidis loca Tacitus respexisse videtur, cùm lib. 3. annal. cap. 19. *Adeò*, inquit, *maxima quæq; ambigua sunt, dum alij quoquo modo audita pro compertis habent: alij vera in contrarium vertunt: & gliscit utrumq; posteritate.* Similem omninò querelam de quorundam historicorum in investiganda veritate negligentiâ instituit Imp. Andronicus apud Nicephorum Gregoram lib. 1. *Interdum ex ignoratione veri & imperitiâ rerum, chartis illinunt ac memoriæ mandant, quæ à quovis audierint, priusquam expendant, sintne probabilia & veritati consentanea, an verò absurda, & ab eâ prorsus abhorreant.* Possumus autem hoc ipsum de tribus etiam illis à Tursellino productis testibus, & si qui

alii Lauretanæ meminerunt, asseverare : quòd scilicet hujusmodi putidissimis auditiunculis, ἀβασανίστως, sine veritatis inquisitione acceptis, & per sacrificulos in vulgus sparsis, chartas suas maculaverint. Qua in re fortassis infælicis sæculi potiùs quàm suâ culpâ peccârũt. Superiora enim sæcula quàm fuerint prona ad suscipiendas miraculosas narrationes, literæ omnes loquuntur illarum ætatum. *Incautè creduli circumveniuntur ab his, quos bonos putaverunt : nescientes inesse & incredibili verum, & verisimili mendacium,* ut inquit Arnobius adversùs gentes lib. 8. Quod hîc quoq; factum haud dubiè. Nam sacrificuli talium commentorum architecti, simulatâ vitæ sanctimoniâ fidem apud cunctos sibi præstruunt, & incautiores historicos facilè circumveniunt.

Tertia causa, cur talium historicorum autoritas ac testimonium hac quidem in re floccipendendum, & algâ vilius habendum sit : quia vel noluerunt suspectam reddere fabulam (quippe haustis scorti Romani philtris, cum eo didicerunt scortari, ejúsq; furtis ac fraudibus, mangones, lenones, & proxenetæ patrocinari) vel etiam absq; periculo non potuerunt. Bartolus de Saxoferrato, IC. clarissimus, in proœmio Digestorum, ubi de fabulosâ donatione Constantini disputat, allatis multis in contrarium argumentis, quibus respondere non potuit, tandem concludit : *Videte, nos sumus in terris amicus Ecclesiæ* (hoc est, regno Papæ) *& ideò dico, quòd ista donatio valeat.* Quomodo Baldus etiam in commentario feudali : *dicere contrarium* (scilicet non esse factam Constantini donationem, aut non valere) *esset percutere caput ad montem Murellum.* Ignoscamus igitur istis quoq; bonis viris, si adeò utilem Pontifici fabulam, vel silendo, vel negando damnare, ac in Pontificem arietare non ausi fuerunt.

Sed præstat sigillatim testes illos locupletissimos scilicet excute-

excutere, & videre, quid ſinguli probabilitatis ad rem confe-
rant. Ergo prodeat initiò Flavius Blondus Forlivienſis, Eu-
genii Pontificis quarti Secretarius, qui claruit anno Domini
1435. ferè ſeſquiſæculo poſt ortum Lauretanæ: Hiſtoricus
non ignobilis ille quidem: & quem, niſi eſſet & οἴκοθεν μάρτυς
(domeſticus teſtis) & à rei narratæ tempore nimis quàm re-
motus, haud aſpernère. Sed quid tandem ille? In Italiâ illu-
ſtratâ, & quidē in Piceno, pag. 339. *Recanatum inter & Adria-
ticum*, inquit, *mare, paululum à Muſione recedit celeberrimum to-
tius Italiæ, ut in aperto immunitóq; vico ſacellum glorioſæ Virginis
Mariæ in Laureto appellatum: quo loco preces ſupplicantium à Deo
Genitricis ſuæ interceßione exaudiri, illud maximū certiſſimúmq;
eſt argumentum: quòd eorum, qui votis emiſſis exauditi fuerunt,
ex auro, argento, cerâ, pannis, veſte lineâ laneâq; appenſa donaria,
magno luenda pretio, baſilicámq; omnem penè complentia, Epiſco-
pus in Dei Virginiſq; gloriam intacta conſervat.* Hæc Blondus:
nec addit plura. Quid autē hæc ad noſtram Andromachen?
Nam etſi propter anathemata ex voto ſuſpenſa quandam lo-
co divinitatem adſtruere velit: nihil tamen de primis Laure-
tanæ domûs incunabulis, ejúſq; miraculoſâ translatione cō-
memorat. Quare non erat quòd Turſellinus lib. 1. cap. 23. hu-
jus miraculoſæ fabulæ fabuloſiq; miraculi teſtem laudaret &
oſtentaret Blondum. Quod de anathematis Blondus, ſcio
etiam à quatuor illis, cum quibus mihi nunc res eſt, Idoli Lau-
retani præconibus, inter præcipua divinitatis illius domûs ar-
gumenta numerari. Sed adeò frigidum hoc argumentum
eſt, ut non niſi canicularibus diebus, æſtûs minuendi causâ
proponendum videatur. Quid enim? An non etiam Del-
phos aliiſq; Dæmonibus, ob res proſperè geſtas, aut Rempub.
ſervatam, reſtitutámve valetudinem æquè frequenter ac ad
Lauretanum Idolum ex voto miſſa fuerunt anathemata? an

hæc anathemata cerdonum ac mendicabulorum tantùm, & non potiùs Crœsorum, Regum populorúmq; multò fortè potentiorũ illis quos Tursellinus opere toto jactat, inscripta nomina gesserunt? Strabo lib. 8. Geogr. de Epidauro: *hac non parum*, inquit, *insignis est civitas, præsertim ex AEsculapij claritate nobilitata, quem varia morborũ genera curâsse*, SOMNIARUNT *homines. Erat verò templum ægrotantium multitudine usquequaq; refertum, pendentibus tabellis, in quibus sanati languores erant inscripti.* Hunc locum video etiam à Polydoro Virgilio lib. 5. de invent. rer. cap. 1. citatum, eóq; demonstratum, ex Gentilismo, ut pleraq; alia, Papisticum illum ritum fluxisse. Id quod præterea poëtarum illa testimonia docent: Tibulli lib. 1. eleg. 3.

Nunc Dea, nunc succurre mihi. nam posse mederi,
Picta docet templis multa tabella tuis.

Horatii Carminum lib. 1. od. 5.

——— *me tabulâ sacer*
Votivâ paries indicat humida,
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

Virgilii, AEneid. 12.

Servati ex undis ubi figere dona solebant.

Ovidii deniq; fastor. 3.

Et posita est meritæ multa tabella Deæ.

Alterum testem Tursellinus lib. 2. fab. Laur. cap. 6. ut ait, historicum producit Baptistam Mantuanum. Hunc Historicum non memini: Monachum Carmelitanum & Poëtam memini dici; quorum utrumq; ad detrahendam testimonio autoritatem satis esse queat. Nam & fabulari monachis, & mentiri poëtis tam proclive est, quàm facilè vulpes pyrum comest. Sed quid tandem ille Mantuanus? Venisse se ait ad

D. Vir-

D. Virginis domicilium: vidisse patrata illic miracula: legisse in templo tabulam parieti affixam, in qua continebatur historia Lauretanæ domûs, à Teremano Præposito perscripta, quam suprà cap. 1. retulimus. Postea in illius domûs laudationem digressus, eam non modò terrestri paradiso, monti Sinæo, Bethlehemio antro, monti Tabor & Olivarum: verùm etiam augustissimo Christi sepulchro (poëtam hîc agnosce, hyperbolicis omnia comparationibus extollentem) longè multúmq; anteponit. Idem Parthenices libro 1.

——— Quid mœnia dicam
Littore Piceno, impensis communibus Orbis
Condita: & Adriaco transvecta cubicula ponto.

Sed & hoc testimonium cùm novitate suâ (nam anno circiter 1480. scripsit Mantuanus) tum vel hoc præcipuè nomine suspectum, imò nullum est, quia ipse Mantuanus profitetur, se ex tabellâ Teremani ista accepisse. Vt autem unus Stultus, ex proverbio Germanico, plures Stultos: sic unus ille mendax sacrificulus Teremanus plures mendaces efficit. Hinc fit catena quædam, non illius fati Chrysippei, sed mendaciorum invicem se consequentium, & propagine quadam in alios aliósq; transfusorum: quorum caput ac fontem in uno illo Teremano invenire est: ultra quem progredi, aut vetustiorem aliquem producere fabulæ testem, nec hactenus potuêre sacrificuli: nec in æternum poterunt.

Nam quod tertium nunc testem laudat Tursellinus lib. 2. cap. 28. Fratrem Leandrum Alberti, Prædicatorum Ordinis Monachum (quem ipsum quoq; vocat Historicum: cùm sit Geographus; imò tantum Chorographus) nihil est. Vixit is patrum, ac penè nostrâ adhuc memoriâ: & in Italiæ descriptione (pag. 428. edit. Colon.) perhonorificam quidem facit AEdis Lauretanæ mentionem. Ait etiam: dubitandum non esse,

esse, quin hoc illud ipsum sit Virginis Deiparæ cubiculum, ab Angelis isthuc translatum. sed autores, qui rei fidem faciant, nullos nominat: duas tantùm ratiunculas adducit admodū frivolas: unam à prodigiis ac miraculis ibi divinitus editis (de quibus pòst capite peculiari tractabitur) alteram, *quia nemo*, inquit, *est, qui non in ipso sacræ domûs ingressu, præsenti Numinis cœlestis religione perfusus, molliri suum sentiat pectus.* Quomodo Tursellinus etiam in præfatione fab. Laur. *divinus omnium pectoribus incutitur horror ad sacrosanctæ Domûs ingressum: ut cuivis faciat divinæ præsentiæ fidem.* Et Marcus Antonius Muretus, initio votivi carminis, quod in AEde Lauretanâ extare testatur Andreas Scotus in Itinerario Italiæ pag. 136.

Vnde mihi insolitus præcordia concutit horror:
Et perfusa metu trepidat, velut icta Deo mens?
Fallor? an hoc facit ipse locus, stimulósq; paventi
Subjicit, atq; animum præsentia Numinis urget?

Sed quàm etiam hujus argumenti sit exigua vis ad opinionem divinitatis Idolo Lauretano conciliandam, vel ex eo perspici potest, quòd nemo nescit, non solùm præconceptam animo falsi numinis opinionem: sed ipsam quoq; per se opacæ ædis obscuritatem, & circumfusarum imaginum partim adoratarum, partim adorantium adspectum, tristéq; silentium, addo quoq; donariorum pretiosissimorum insolitū illum splendorem, superstitiosis hominibus, *ignarísq;*, poëtæ verbo, *mentibus*, religionis quendam horribilem sensum metúmq; incutere solere. Id quod ipsum in hominum Ethnicorum æquè templis, ut & in Lucis caliginosis evenire certum est. Vnde Poëta:

Arboribus suus horror inest: tum plurima nigris
Fontibus unda cadit, simulacráq; mœsta deorum.

Ipse

Ipse situs, putríq; facit jam robore pallor
Attonitos. ———

Idem, Seneca confirmat epist. 41. his verbis: *Si tibi occurrit vetustis arboribus & solitam altitudinem egressis frequens lucus, & conspectum cœli, densitate ramorum aliorum alios protegentium submovens: illa proceritas sylvæ, & secretum loci, & admiratio umbræ in aperto tam densæ atq; continuæ, fidem tibi Numinis facit. Et si quis specus saxis penitus exesis montem suspenderit, non manufactus, sed naturalibus causis in tantam laxitatem excavatus: animum tuum quadam religionis suspicione percutiet. Magnorum fluminum capita veneramur: subita & ex abdito vasti amnis eruptio aras habet. coluntur aquarum calentium fontes: & stagna quædam vel opacitas, vel immensa altitudo sacravit.* Hæc Seneca: quæ, si qua ratio consequentiæ isti argumento inest, penè nobis persuaserint, Divam Virginem in lucos etjam, & specus, & lacus profunditate formidabiles commigrâsse. Libet ad hunc egregium Senecæ locum, similem unum & alterum ex Tacito annotare. In libello de situ moribúsq; Germanorum cap. 39. ait: Semnones, Germaniæ populum, stato tempore in sylvam *auguriis Patrum & prisca* FORMIDINE *sacram* (nota versum Taciti, sponte & fortuitò fusum) convenire, cæsóq; publicè homine celebrare barbari ritûs horrenda primordia. Ejusdémq; libelli capite 40. sacris Germanorum in nemore peractis tribuitur ARCANUS TERROR, sanctáq; ignorantia. Ex quibus omnibus perspicitur, Gallicâ nive frigidius argumentum illud esse, quo hîc Leander & cum eo Tursellinus utitur: *Domum Lauretanam visentes trepido quodam gaudio, & mixtâ veneratione corpus animúmq; percelluntur. Ergo domus Lauretana inde usq; Nazaretho, succollantibus Angelis, in Italiam est bajulata.*

Atq; hæc aliquantò prolixiùs explicare visum est, ut &,

quàm ineptè Tursellinus rem antiquissimam Quasimodogenitorum autorum suffragio confirmet: & quantum fidei tribus illis, quos vocat, historicis habendum sit, luculentiùs apparere possit. Hosce triumviros in syllabo rerum memorabilium, sub titulo, *Testimonia historicorum*, collocavit Tursellinus: quibus, mirum, quòd non & quartum adjunxit, Raphaëlem Rieram, Lauretanum sacerdotem pœnitentiarium, cujus Annales Lauretanos manuscriptos passim allegat: itémq; quintum, Hieronymum Angelitam, Recinetensis civitatis Secretarium, qui suam Lauretanam, si diis placet, historiam Clementi VII. Pontifici dicavit. Sed, credo, hominem alioqui veri & verecundi exsortem puduit historicis illos annumerare, quos ullius coloris nemo quisquam, præter homines de Lauretano templo, novit.

Verumenimverò Cardinalis Baronius aurem hîc mihi vellicat: &, quod vnicè in hoc negotio urgemus, aliquem è magè antiquâ antiquitate producit, qui Nazarethicæ domûs illius meminerit, Venerabilem Bedam capite 16. de locis sanctis. Incidit hujus autoris ætas in principium sæculi à nato Christo octavi, teste Trithemio in scriptor. Ecclesiast. Quamvis autem hujus optimi sanctissimíq; viri, ac merito suo, uti vocatur, Venerabilis pietatem ac Zelum promovendæ religionis suspicimus & veneramur: facilitatem tamen in credendis multis, quæ prioribus sæculis credita non fuerunt, admodum suspectam habemus. Nam eo libro, quem citat Baronius, multa futilia aut palàm falsa contineri, nec Baronius quidem ipse dubitat, qui hoc in Annalibus suis alibi ingenuè agnoscit & fatetur. Ejus rei eximium habet exemplum in anno Domini 34. numero 116. de columnâ in monte Calvariæ, quæ æstivo solstitio umbram non facit: quod mathematici non minùs verè de Siene observant, quàm falsò fictitiæ isti columnæ attribuitur.

Sed si

Sed si vel maximè Bedæ sua constet autoritas : tamen illâ narratione suâ tantum abest ut stabiliat fidem novi miraculi, ut etiam funditus evertat. Nam de domo ubi conceptus Iesus, ita scribit : *Altera Ecclesia est, ubi domus erat, in qua Angelus ad Beatam Mariam venit.* Clarè ex his verbis constat, jam ætate Bedæ, hoc est, ante annos octingentos & plures eo, ædem sacram in eo loco fuisse ædificatam, quem Christi conceptio fecerat insignem. Iam tum igitur domus illa, quæ tum fuit, cùm Christus concipiebatur, vel omninò esse desierat ; vel certè domus esse desierat. Sanè cùm dicit Beda, *ubi domus erat* : non obscurè videtur significare, jam ætate suâ ampliùs illam non fuisse: nedum esse nunc queat. Nam si ante octingentos vel nongentos annos non erat illa domus; quomodo verum erit, quòd ait Baronius, illam semper durâsse integram ? Si quis dicat, non desiisse quidem esse illam Domum, sed in templum fuisse versam : quæram ego, si domus versa est in templum ante tot sæcula : quomodo & quando templum iterum versum est in domum ? Non enim Templum Angeli transtulisse dicuntur, sed Domum. Sed rursum dicat aliquis: tunc cùm illi loco templum est inædificatum, priorem Domum aliò esse translatam. Verùm hoc neq; ullius scriptoris veteris testimonio potest probari : neq; de re tantâ conjecturis fallacibus temerè locus dari debet. Tum autem meritò quærat aliquis, ubi latuerit illa domus translatitia per tot sæcula. Nam ut initiò translatæ nemo meminit ; ita servatæ nemo. Adeò nimirum inextricabilibus sese contradictionibus ipsam sese fabula destruit.

CAPVT VII.

ARGVMENTORVM SYLLOGE CONTRA secundam fabulæ Lauretanæ partem.

PRopoſita hactenus argumenta Vergerii præcipuè pertinent ad initium fabulæ Lauretanæ, & ad illa tempora, quibus domum illam adhuc hæſiſſe Nazarethi fingunt. Nunc ad ſecundam narrationis partem venio, ubi de ejuſdem domûs translatione νομιζομένῃ tum in Illyricum primò, tum poſtea Italiam agitur.

Etſi verò ſingula Vergerii argumenta ſingulis capitibus pertractare cæpimus: tamen quia in totâ iſtâ narratione ὀυδὲν ὑγιὲς ineſt: eóq; ſatietas quædam ac tædium iſtarum nugarū obortum mihi eſt: placet, hoc capite, tanquam uno faſce, argumenta illa ad ſecundam narrationis partem pertinentia omnia complecti: &, quæ contrà à Turriano proferuntur, refellere: ſed paucis: quoniam, ut ait Pindarus, ἐυώνυμον ἐις δίκαν τρία ἔπεα διαρκέσει. Nam etſi Turrianus verba multa fundit: tamen corniculas citiùs in Africâ, quàm res rationéſq; ſolidas, aut operoſâ confutatione indigentes in iiſdem invenies: ut vetus ille verſus hîc valeat: λόγους μὲν ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται.

Primum itaq; Vergerii argumentum contra translationem Nazarethicæ domûs, à temporis circumſtantiâ petitum eſt. Ait fabulator: quum populus, qui in Iudæa habitabat, deſeruiſſet fidem Chriſti, Angelos Eccleſiam illam à ſuis fundamentis avulſam detuliſſe in Illyricum, & collocâſſe prope oppidum, quod nominatur Flumen (Ptolemæo Tarſatica eſt) Conſtat autem, quòd Mahometus religionē ſuam plantaverit ſub annum à nato Chriſto ſexcenteſimum: quæ tum non ſolùm in Iudæâ radices egit: ſed & per totam Aſiam ſparſa fuit.

ſa fuit. Quare domus Nazarethica vel tum ſtatim, id eſt, ante mille annos translata fuit: vel demum (id quod fabulator voluiſſe videtur) ante annos abhinc trecentos. Si ſtatim à principio Turciſmi; oſtendatur nobis vel unus autor, qui id confirmet. Si verò demum ante trecentos annos; tunc ratio reddenda eſt, cur Angeli paſsi fuerint eam Eccleſiam tamdiu inter illos populos, qui jamdudum à fide Chriſti deſciverant, commorari.

Alterum argumentum: Si angeli domum Nazarethicam ideo ſuo loco avulſam tranſtulerunt, quia incolæ à fide Chriſti deſciverant: etiam non paſsi fuiſſent, in eâdem provinciâ, atq; inter eoſdem fidei contemptores hærere locum, in quo Chriſtus natus eſt: item ſepulchrum, in quo jacuit: & ipſum adeò montem Calvariæ. Atqui conſequens falſum eſſe, teſtatur experientia: nec adverſarii negant. Ergo falſum etiam eſt antecedens. Ratio conſequentiæ in majore propoſitione hæc eſt: quia locus nativitatis, paſſionis & ſepulturæ Chriſti, ſi non majore, certè non minori honore & reverentiâ dignus eſt, quàm illa camera, in qua mater ejus enutrita fuit. In illis enim præcipuè locis opus redemptionis noſtræ peractum eſt.

Tertium argumentum: Omnes ſcripturæ ſacræ cenſent, ea quæ ſunt Mundi elementa externa & carnalia, reſpuenda eſſe: & Deum in ſpiritu ac veritate adorandum. Ergo non eſt omninò credibile, cameram Nazarethicam tantæ curæ fuiſſe Deo, ut eam toties quadam levitate deſultoriâ transferēdam, & in hunc uſq; diem, ἄσηπτον, à putredine immunem conſervandam duxerit.

Quartum. Diva Maria ipſam ſe dicit Ancillam Domini, humilimámq; ſervam. Ergo abſurdum eſt, ideò ex Illyrico in Italiam tranſtuliſſe domicilium ſuum, quòd videret, ſe non ita illic honorari ut deſiderabat.

Quintum. Sanctissima Dei genitrix ab idololatriâ vel maximè abhorret. Atqui in imaginibus & statuis, atq; hujusmodi rebus externis honorari & adorari, & cultum Deo debitum homini tribui, idololatricum est. Ergo Maria, ista respuit & abominatur: & proinde suam ædiculam ob intermissum ejusmodi cultum eam aliò transmovisse perabsurdum est.

Sextum. Mariam Papistæ affirmant esse Reginam cœli: ac Orbi persuadere conantur, illam habere omnia præsentia, sicut habet Deus. Ergo, si fabula hæc esset non-fabula, Mariam hîc quidem imprudentissimam fuisse necessum esset: quippe quæ non prævideret fore, ut sua camera in Illyrico nō afficeretur honore debito: & postea quoq; in Italiæ duobus locis, primo ob latrocinia, altero ob fratrum discordiam, minùs commodè hæreret, usq; dum Laureti fixam opportunámq; deniq; sedem inveniret. Nam si hæc omnia prævidisset Maria: potuisset humeris bonorum angelorum parcere, & facto itineris compendio statim initiò Lauretum Nazaretho migrare.

Hactenus argumenta Vergerii. Nunc videamus, quid ad ea Turrianus respondeat: aut, ut proprio magis utamur verbo, deblateret.

In primo argumento fatetur quidem, non à principio Turcismi, sed demum ante trecentos annos Mariæ domunculam Nazaretho avolâsse. Cur autem tamdiu inter infideles hæserit, causam duplicem reddit.

I. ex Genes. cap. 15. vers. 16. ubi dicitur, Amorræos ideò tardiùs ejectos ex terrâ Canaan, quia nondum erant completæ iniquitates eorum usq; ad præsens. Ita hîc etiam nondum completas fuisse infidelium illorum, qui Mariæ domum penès se habebant, iniquitates. Sed est magna in exemplo diversitas: tū quia Amorræi ob iniquitates proprias in exilium

ejecti:

ejecti : illa verò domus ob aliorum incredulitatem , non ejecta, sed Mariæ sponte ablata fingitur : tum etiam quia Amorræorum ejectio certa, & sacris testata literis est : domûs autem illius translatio nullo testimonio certo firmari potest : quam tamen adversarius perpetuâ principii petitione, tanquam certissimam præsupponit : & ut amantes *ipsi sibi somnia fingunt* : sic ille Lauretanam suam adeò deperit, ut de eâ nihil non comminiscatur ac somniet.

2. iterum ex Genes. cap. 18. vers. 32. ubi Dominus Abrahæ promisit, se Sodomam non esse subversurum, si vel decem in eâ justi superfuerint. Quid si ergo, inquit Turrianus, etiam in Turcia decem adhuc justi superfuissent, in quorum gratiam hæc domus diutiùs ibi restitavit ? Omninò, decem : nec plures, nec pauciores. nam Turrianus suis ipse digitis computavit : nec eum ratio fallit. ô φλυαρολογήματα frivola magis, quàm testulæ ullæ fractæ ! Nec meliora, imò nugaciora, & nec cœlum, nec terram attingentia : à Vergerii quidem certè argumento prorsus aliena, quæ subiicit : *pœnituisse Deum propter infidelitatem illorum populorum , quòd sanctam hanc cellam ibi collocâsset* : quædam etiam è sacris exempla pœnitentiæ divinæ corradit : quæ omnia nihil ad Parmenonis hanc suem.

Ad secundum argumentum satis pro imperio & supercilio Lojolitico Turrianus respondet : Angelos passos esse, sacrum Christi sepulchrum, nativitatis item & passionis locum in hunc usq; diem apud infideles morari : sacram verò ædiculam non esse passos diutiùs cum iis esse : *quia nimirũ illud placuit : hoc nõ placuit.* Sed interim argumentũ nõ refellitur. Eandẽ causam idẽ sequitur effectus. Cur ergo Angeli, si Mariæ domum avexerunt ob incolarum impietatem , non etiam unâ sacrum sepulchrum, aliáq; loca sancta, ac totam adeò Palæstinam ad pios Italos transferendam putârunt. Est enim par utrobi-

utrobiq; ratio. Atqui, *non debemus*, ais, *esse curiosi in operibus Dei*, ita præcipiente Syracide cap. 3. verſ. 22. Inepte! probato priùs, hoc eſſe Dei operibus, ac non potiùs ſacrificulorum commentis, quémq; illi patrem habent, diaboli ludibriis annumerandum: ac omni ſepoſitâ curioſitate, cum veteribus Germanis, referente Tacito in Germ. cap. 34. *ſanctius reverentiúſq;* putabimus, *de actis deorum credere quàm ſcire*.

Ad tertium argumentum Turrianus nihil planè reſpondet: non quòd illud indignũ reſponſione putet: ſed conſcientiâ malæ cauſæ. Facit ad illud roborandũ etiã D. Hieronymi autoritas, ad Paulinũ de inſtitutione Monachi (tom. 1. pag. 102.) cõmendantis Beatũ Hilarionem, quòd cùm Palæſtinus eſſet, & in Palæſtinâ viveret; tamen uno ſolùm die viderit Hieroſolymam; ut nec contemnere loca ſancta propter viciniam: nec rurſus *Dominum loco claudere* videretur. Conſtat omnibus iis, qui in hiſtoriâ Eccleſiæ cum aliquo judicio ſunt verſati; primis Eccleſiæ ſæculis in negotio religionis, & cenſu rerũ ad pietatem pertinentium, externa hujuſmodi, ut loca à Sanctis hominibus trita, cæteráſq; reliquias non eum locum habuiſſe, quem poſtea obtinuerunt. Vnde ferè altum talium rerum ſilentium eſt, quæ poſt aliquot ſæcula, primâ ſimplicitate paulatim degenerante, & innotuerunt verè an falsò, & in pretio magno eſſe ſtudioſiſſiméq; conquiri cœperunt.

Ad quartum hæc habet quæ reponat: non ipſam quidem Mariam, quippe humilem ancillam, eò ambitionis eſſe progreſſam, ut ſe vellet impenſiùs coli: ſed quia in ſuo honore etjam Chriſti honorem agi videbat, diſceſſu ſuo contemptum illum vindicâſſe. Item, quia ad Philippenſes 2. verſ. 4. dicit Paulus: *ſingulis eſſe conſideranda, non quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorũ*: itaque Virgo humilima noſtram ſalutem quærit in honore ſuo: & in honore ſuo totam gloriam tantùm ſolius Dei. Sed ô Herma! & ego, ſi refutem. In quin-

In quinto argumento Turrianus ranâ Seriphiâ magis mutus est.

In sexto, os iterum aperit: sed ita, ut impudentiám ne dicam an amentiam simul aperiat. Deum etiam prævidisse inquit, peccaturum Adamum: & tamen eum creâsse. Aliquid diceres, si vel Maria Dea esset, quod citra blasphemiam ne cogitari quidem potest: vel fabula illa tua, fabula non esset. Nam priùs in quæstione An sit, ostendendum, translationem illam esse factam: ac tum demum in quæstione Quale sit, ad prævisionem, & cætera illius translationis accidentia veniendum. Apparet hinc quoq; Lojolitarum os blasphemum, & frons ærea, qui B. Virgini Mariæ communia facere non verentur, quæ Deo in sacris literis tribuuntur: quod ut hîc & alibi sæpè Turrianus facit: ita τοῖς παπωμανοῦσιν aliis infrequens non est. nec eo contenti, Christo superiorem etiam (φεῦ τῆς ἀναιδείας, imò τῆς βλασφημίας!) constituunt; ut in illo blasphemo versiculo: *Ora patrem*, IUBE *natum: jure matris* IMPERA: quem Rœstius cap. 16. pseudojub. artic. 27. Sophisticæ tectorio obducere, & Iesuiticis æquivocationibus eludere frustrà conatur. Eodem pacto Gregorius de Valentiâ, nobilis ejusdem Sectæ Socius, in fine libri de satisfact. B. Virginem Mariam præponit Filio Dei, his verbis: Laus Deo, & beatissimæ Virgini Mariæ: DEO item Iesu Christo, &c. Quod si jam vera est Major illa Papistica, quâ utuntur in primatu Petri adstruendo: *Quicunq; priori loco ponitur, is est eorum qui secundo loco ponuntur, princeps, & caput, & summus gubernator atq; Imperator*: & verò ex illo Gregorii de Valentia loco, B. Virgo Maria, priore loco ponitur, & ante Filium Dei: sequitur, B. Mariam esse quasi Filij Dei Imperatorem. Et si majore honore dignus est qui præest: certè majori honore digna erit B. Maria quàm Filius Dei, redemptor noster: quod horrendum. Nos

quidem iſtud argumentum non curamus, qui ſcimus, *ordinem ſcripturæ nullam dare prærogativam*, ut loquuntur Iuriſconſulti: ídq; in divinis etiam literis obſervari, quæ Petrum non ſemper præponunt, ut ad Galat. 2. verſ. 9. At Papiſtis, qui ex iſto ordine argumentãtur, ſi teneant ordinem iſtum à Gregorio de Valentia obſervatum, ut aliis eſſet exemplo, neceſſe eſt iſtam blaſphemiam & idololatriam admittere. Volunt enim majorem propoſitionem univerſalem & firmam eſſe. Aliâs pro primatu Papæ, qui eſt Eccleſiæ Papiſticæ articulus principalis, ejúſq; baſis ac fundamentum, nihil argumentum probaret. Quantò plura verò Mariæ quam Deo Pontificii tribuãt, diſcas licet ex Marial. lib. 2. part. 1. cauſ. 24. lit. H. itémq; ex Stellario Coronæ benedictæ V. Mariæ lib. 12. cap. 3. (ſcio hos libros ambroſiam & nectar eſſe ſacrificulis) ubi de quadam Abbatiſsâ puerperâ, cui B. Maria, miſſo in eremum ad quendam anachoretam infante, virginitatem reſtituit. B. Hieronymus ad Euſtochium de cuſtodiâ virginitatis (tom. :. pag. 136.) *Cùm omnia*, inquit, *poßit Deus, ſuſcitare Virginem non poteſt poſt ruinam.* Atqui B. Maria poteſt. Quid ergo dubitamus, ſuperiorem Deo? Sed neſcio quomodo Turrianæ reſponſionis abſurditas ad hoc me diverticulum abduxit, ex quo redeundum eſt in viam; & conſideranda nunc appendicula Turriani, licet ἀπροσδιόνυσος, ad ſuperiorem reſponſionem ſuam.

Ait, domûs ſanctæ per Angelos tranſportatæ teſtes locupletiſſimos, omnes Illyrios eſſe, apud quos in hodiernum uſque diem duret ille dolor ereptæ ſibi domûs: quem ad dolorem teſtandum, catervatim quotannis, tranſmiſſo Adriatico mari, Lauretum ventitent, non magis B. Mariæ incunabula venerantes, quàm orbitatem lamentantes ſuam. Quomodo Turſellinus etiam lib. 1. fab. Laur. cap. 5. ſcribit, (riſum teneatis amici)

amici) solennes illas Illyriorum voces esse, *Revertere ad nos Maria, revertere*: quæ voces testes sint hauddubiæ, Nazarenæ domûs ex Illyrico in Italiam asportatæ. Sed quid hæc ad propositum argumẽtum? aut quid mirum, putidissimam istam fabulam, quæ per trecentos circiter annos Orbi Christiano imposuit, etiam Illyriis imposuisse? Magis ridiculũ est, quòd hîc Turrianus ex eo quoq; migrationi domûs ex Illyrico fidem facit, quia ex nullâ, præter Illyricam, natione pauperes sive mendici, ad habitandũ in tuguriis & gurgustiis prope sanctam domum, ventitant. Quis nescit enim, ubi cadaver est, ibi vultures aquilásq; convolare: ac mendicos, nidorem culinæ sectari solitos, libentiùs ad loca hominum conventu frequentia, quàm deserta sese recipere. Nec refert, quòd soli Illyrii mendici eò confluere dicuntur (quanquam de hoc etjam haud immeritò dubites) Nam sive vicinia id facit: vel quòd prærogativâ quadam ob confictam illam priùs apud se commoratæ domûs causam frui sibi videntur, alios mendicos (ut est invida & rixosa mendicorum natio) inde facilè exturbant: præsertim sacrificulis Illyricos mendicos impensiùs foventibus, ad alendam in animis hominum opinionem AEdis ex Illyrico ad se translatæ. Quem ipsum in finem, vulpinâ quadam astutiâ, Collegium etiam Illyricum, in quo triceni adolescentes Illyrii sustentantur, Laureti instituit Gregorius XIV. Papa, teste Tursellino lib. 5. fab. Laur. cap. 3. Et, quod præcipuè notandum, idem Tursellinus lib. 1. cap. 19. scribit: *Quò altiùs in teneræ ætatis animos Virginis Lauretanæ religio descenderet, Recinetensis civitatis decreto sancitum est, ut Ludimagistri omnes in tradendis primis literarum elementis,* OMNIUM PRIMUM *talibus narrationibus imbuerent pueriles aures animósq;: libellíq; illius lectioni paulatim rudem assuefacerẽt ætatẽ. Hinc eximia illa Recinetensiũ animis insita religio pietásq; adversùs Lauretanæ Virginis domum.*

CAPUT VIII.

ALIA QUAEDAM CONTRA SECUNDAM fabulæ Lauretanæ partem argumenta.

ETsi tanta fabulæ Lauretanæ absurditas est, ut explodenda magis esse videatur quàm exploranda & ventilanda, multarúmve rationum aggestu premenda: tamen quia Turrianus pontificiúsq; grex

Et vigilans stertit : *nec somnia cernere cessat* :

ut hîc ei veternus excutiatur, placet adhuc argumenta quædam alia Vergerianis superioribus annectere.

Seneca lib. 4. Natural. quæst. cap. 3. Posidonium Philosophum scribit, ortum grandinis ex nube aquosâ sic affirmare, *tamquam interfuerit*. Possit idem de Tursellino cogitari, Nazarethicæ migrationem totúmq; cursum itineris lib. 1. fab. Laur. cap. 2. & seqq. ita graphicè cum suis περιστάσεσι depingente, ut non audivisse, sed vidisse: non interfuisse modò, sed Angelos etiam adjuvisse videri queat. Nam & annum translatæ domûs exprimit, 1291. Nicolao IV. Pontifice Max. & ipsum quoq; diem, 7. Idus Majas: diem autem? imò horam insuper, secundâ circiter noctis vigiliâ. Hæc de primâ migratione in Illyricum. Secundam in Italiam ait susceptam triennio & semestri pòst, hoc est, anno Domini 1294. quarto Id. Septemb. Bonifacio VIII. Pontif. Max. Quid possit ad hanc impudentiam adiici? & tamen adiicit Tursellinus, dum illud Teremanianum fabulæ hujus archetypum suprà cap. 1. propositum, aliis insuper iisq; plurimis mendaciunculis de suo adjectis, quæ hîc explicare nimis longum foret, ita farcit, & omnibus excussis artificii rhetorici myrotheciis ita condit, ut duplo triplóve major efficiatur. Quæ una res vel superstitiosissimo

fissimo cuiq; fabulam suspectam reddere possit. Quid enim? cogitet aliquis, si hodiè in hac luce, viventibus videntibúsq; nobis, tantâ confidentiâ rei per se tam incredibili conficta de novo mendacia non verentur aspergere sacrificuli; quanto magis illa vetera, quæ vera affirmant *licentiâ antiquitatis* (verbo Taciti in Germ.) commentitia & ad quæstum excogitata putanda sunt?

Præterea cùm non sit credibile, Mundum in melius jam proficere: sed potiùs, ut est apud Poëtam, *ætas parentum peior avis ferat Nos nequiores, mox daturos Progeniem vitiosiorem:* quî fit ergo, quòd Diva Virgo non item hodiè, moribus Italiæ in tantam improbitatem incumbentibus, aliò migrat: sed jam per integrum trium sæculorum decursum, uni eidémq; loco, tamquam clavis trabalibus affixa sedet: quæ tamen olim hominum offensa sceleribus, instar locustæ vel picæ, hinc inde cum suâ domunculâ saltitavit? Hoc argumentum etiam Tursellino venit in mentem, cùm lib. 1. fab. Laur. cap. 5. Dalmatas demigrantem ex Illyrico, ingenti cum eorum luctu Virginem, ita fingit alloquentes, instar Didonis AEneam retinere cupientis: *utiq. ipsos indignos tali pignore fuisse: minore id ab se religione, minore studio, quàm par foret, cultum. sed quam tandem ubivis gentium religionem, quod studium, quem cultum cœlesti illi præcellentissimóq. dono parem esse posse? Hæc si causa mutandæ sedis fuerit, ubicunq. consederit, subinde sedem mutandam fore.*

Quid? quòd, si umquam migravit, vel inprimis hoc nostro tempore iteratâ aliquâ migratione tanti miraculi fidem videretur esse factura Diva, ut nobis, Hæreticis scilicet incredulis, hæc omnia ridere solitis, os obturaret.

Accedit, quòd, ut ex Tursellino suprà retulimus, domûs Nazarethicæ in Italiam adventus incidit in tempora Bonifacii

VIII. qui trecentis circiter abhinc annis ad clavum naviculæ Petrinæ sedit. Iam si consideremus, qui vir Bonifacius ille fuerit, non est credibile. D. Virginem illius Pontificatum sanctæ cellæ adventu insignem facere voluisse. Hic enim est ille, de quo in fasciculo temporum, & à Baldo proditum est, *intrâsse ut vulpem; regnâsse ut leonem; mortuum esse ut canẽ.* Quod quomodo sit accipiendum, ex Platinâ, Stellâ, Onuphrio, & aliis historiæ Pontificiæ scriptoribus cognoscere est, qui vitam illius monstri, omni scelerum genere refertam literis mandârunt. Nec multò melioris farinæ Pontifices alii fuerunt, quos in suâ nothâ historiâ Tursellinus Idoli Lauretani patronos facit: quidam etiam deterioris. Sed non excurro in hunc campum, pro hujus libelli modo nimis amplum. Nisi quòd tamen in gratiam & honorem Iesuitarum, duos nominabo, Paulum III. & Iulium III. Pontifices Optimos Maximos, quorum ille Societatem Iesuiticam autoritate suâ comprobavit, anno 1540. Cal. Octob. hic ab antecessore comprobatam, ratam esse jussit: quod utrumq; discimus ex Ribadeneiræ Lojolâ lib. 2. cap. 17. & lib. 3. cap. 21. Primùm autem hoc peto à Iesuitis, ut liceat mihi tantundem fidei adhibere Sleidano, Vergerio, Balæo, quantam illi habent Lindano, Cochlæo, Surio. Hi ergo testantur: nec obscurè in plerisq; Pontificii consentiunt: *Paulum in Astrologiâ ac divinatione, illâ præcipuè, quæ malorum dæmonum adjutorio fit, primas obtinuisse: sororem suam Iuliam Farnesiam Alexandro VI. optimo scilicet & pio admodum Pontifici, ad usum Venereum, redimendi galeri Cardinalitij causâ concessisse: Dionysium Servitam Geomanticum, quem ob id postea Cardinalem fecit, & Gauricum Lusitanum, Cecium & Marcellum necromanticos, insignes nebulones, socios semper ac familiares habuisse: matrem suam ac nepotem veneno sustulisse, ut omnis ad ipsum conflueret Farnesiorum hæreditas: alteram*

deinde

deinde sororem suam, actum Zelotypiâ, toxico interemisse: Legatum sub Iulio secundo, puellam nobilem sub pacti matrimonij colore stuprâsse, ex eâq. Petrum Aloysium sodomitarum primipilum sustulisse: cùm Nicolai Quercai uxore Laurâ Farnesiâ nepte suâ in adulterio incestuoso deprahensum, vulnus accepisse: ut filiâ suâ Constantiâ, cum qua sæpiusculè consueverat, potiri liberiùs posset, maritum eius Bosium Sfortiam veneno necâsse, &c.

De Iulio verò III. hæc tradunt: *Cardinalium collegio à Paulo III. ob melancholiam & veritatis odium fuisse adscriptum: Pontificem factum, Iubilæum lucri gratiâ celebrâsse: nullos priùs ad Ecclesiasticas dignitates promovisse, quàm catamitos, inter quos fuit Innocentius, Ganymedes ipsius, quē in Cardinaliū numerū adoptavit. Cùm ex eo quærerent Cardinales, quídnam videret in hoc adolescente, isto purpuræ splendore dignum? respondisse: quid, obsecro, vos in me vidistis quod Pontificiâ dignitate ornaretis? In quotidiano sermone sanctum hunc Pontificem obscænioribus usum verbis & blasphemiis, quàm alium quemvis ex lenonū caterorúmve per Italiam nebulonum fæce: exempli causâ, cùm ferculum porcinarum carnium à medico vetitum apponi jußisset,* AL DISPETTO DI DIO, *hoc est, in contemptum Dei. Dum in conclavi res ageretur de hoc Iulio creando, interceptas fuisse literas ex illo sancto Conclavi ad amasium: quibus literis nullâ memoriâ umquam vidisse se sceleratiores aut obscæniores dicebant illi, qui in Italiâ & Germaniâ illas legerunt. Nudis enim ac nefandißimis verbis illic agitur (salvo honore) cum cinædo, &c.* Quæ non tàm eò recito, ut appareat, quid de Societate Iesuitica à talibus impurissimis hominibus profectâ & confirmatâ, sperare habeamus (nam id quidem docuit eventus) quàm ut ostendam, nequaquam esse credibile, Divam Virginem, è Palæstinâ ac Illyrico profugam, talium sese patrocinio atq; tutelæ committere voluisse. Nam ex his alios æstimare par est. Rœstius quidem in pseudojub.

cap. 30. artic. 9. timidè & malignè, *certum*, inquit, *est*, ALIQUOS *Pontifices* MINUS BENE *vixisse*. Georgius Gothardus, homo Pontificius, in apologiâ contra Heerbrandum pag. 49. magis ingenuè, candidè, verè: *Luce clarius est*, PLEROSQUE *Pontificum*, TURPEM *atq;* FLAGITIOSAM *vitam traduxisse*. Omnium verò candidissimè liberriméq; Pasquinus Romanus (is scilicet qui palàm edicit, quæ alii metu magnæ Bestiæ obmutescẽtes, secreto in pectore volvunt) unicâ Papæ voce, tanquam exactissimâ epitome, omne genus scelerum & objectum sibi putavit esse: & vicissim à se quoq; obiici significavit, dum in Paulum IV. Pontif. (aliâs Ioannem Petrum Caraffam Neapolitanum, qui fundamenta Ordinis Iesuitici Venetiis posuisse dicitur) hoc epigramma evulgavit:

Hîc Caraffa jacet, superis invisus & imis:
Styx animam, tellus putre cadaver habet.
Invidit pacem terris, dijs vota precésq;:
Impius & clerum perdidit, & populum.
Hostibus infensis supplex, infidus amicis.
Scire cupis paucæ cætera? PAPA *fuit.*

Cùm autem, ut est in Ecclesiast. cap. 10. vers. 2. *secundùm judicem populi, sic & ministri ejus: & qualis est rector civitatis, tales & inhabitantes eam:* mirum non est, Papas hæc scelera sua in urbem quoq; Romam, cæterámq; Italiam & clerum, jam olim transfudisse. Credamus hoc Mantuano Carmelitæ, statum sui temporis Ecclesiæ Romanæ adeò degenerem confirmanti, *ut pastores & canes in rabidos lupos mutati, discerpant gregem, quem pascere & custodire debuerant.* Et sunt præcipuè ista Mantuani notanda verba:

——— *domus Petri polluta, fluente*
Marcescit luxu. nulla hîc arcana revelo.
Non ignota loquor: liceat vulgata referre.

Sic

Sic urbes populiq; ferunt : sic fama per omnem
Iam vetus Europam mores extirpat honestos,
Sanctus ager scurris , venerabilis ara cinædis
Servit ; honorandæ divûm Ganymedibus ædes.
Quid miramur opes , recidiváq; surgere tecta ?
Thuris odorati globulos & cinnama vendit
Mollis Arabs , Tyrij vestes : venalia nobis
Templa , sacerdotes , altaria , sacra , coronæ ,
Ignis , thura , preces : cælum est venale Deúsq;.

Neq; verò sunt hodiè vel nudiusdemum tertius, sed jam istis primis Lauretanæ temporibus hæc nata proverbia: *Quò Romæ propior; eò Christianus pejor.* Item, *qui semel it Romam, videre scelestum. qui secundò it, cognoscere. qui tertiò it, in patriam referre.* Nec meliorem postea factam, docet illud AEneæ Sylvii in Paral. Alfons. lib. 1. cap. 53. *Omnem æquitatem omnémque religionem proculcare, mos est Italicus.* Item istud Nicolai Macchiavelli disput. lib. 1. cap. 12. *Nuspiam minus vel pietatis vel religionis, quàm in Italiâ, & hominibus Romæ vicinis est.* Scilicet ergo beatissima Virgo Maria apud simplices illos Illyrios aliquantò rusticiùs & negligentiùs culta, propius Romam, domicilium religionis, imò scelerum sentinam, accedere; hoc est, Charybdin vitatura, in Scyllam incidere; declinatura fumum, in ignem se dare voluit.

Possim alicui videri hoc loco ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα progressus, & Papæ Romæq; vituperio diutiùs quàm argumentum postulat, immoratus. Verum enimverò Petri Rœstii Iesuitæ maledicum, quod vocat, pseudojubilæum, id ut facerem impulit. Ita procaciter & ex supervacuo cùm Antistites religionis nostræ, tum nos ipsos in eo lacessit, ut priscum reduxisse morem videatur, & convitia spargere è plaustro. Etsi ve-

rò, monente Tacito, *convicia si irascaris, aut redarguas, agnita videntur: spreta exolescunt*: quis est tamen ita lentus, ut istam effrænem maledicentiam perpetuò ferre queat? Silentium enim interdum in consensum ducitur: & concessa creduntur, quibus à nemine contradicitur. Itaq; Rœstius illius Homerici fuit admonendus:

ὅ, τι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται,

ne in alienâ domo circumferens oculos, sua interim ignoraret; Olum illum apud Martialem imitatus, qui in externa mala curiosè inquirebat: cùm interim ipse pro togulâ adhuc deberet; uxorem domi adulteram, filiam viro maturam, ac dotem poscentem haberet. Quod genus hominum Lamiæ Plutarchus haud inscitè comparat, quæ, ut in fabulis est, domi cæca dormit, oculis in quodam vasculo repositis: forâs autem egressa, inserit oculos, & videt: domi cæcutit: foris est oculatissima. Sed quid tandem est, Rœsti, quod in Luthero, Prædicantibus, Lutheranis desideras? libet enim tecum adhuc plura porrectiore fronte colloqui. Ille *nefarius*, ais: *hæreticus: apostata: sacrilegus: humanâ specie Diabolus: patre incubo, matre dæmoniacâ natus: diaboli commercio usus: & Philosophiam, & Theologiam indoctus: inconstans: mendax: maledicus: superbus: invidus: perjurus: luxuriosus: temulentus: iracundus: seditiosus: avarus* & quid non? Isti, *cerdones indocti: sartores: textores: sutores: sceleribus infames*: (hem, hem, tolutim badiza) *ebrii: adulteri: homicidæ: fures: plusquam Sodomitæ*: & quid audio? *quidam etiam carnificis officio defuncti.* Hi deniq; uno verbo, *nebulonum turba.* En rosas, quas orthodoxorum Antistitum nostrorum nostrisq; capitibus inspergit ille Suita. Satin' sic evomuisti bilem, Rœsti? satis. Iam mihi substringe parum aures, ac initiò de Luthero sic accipe. Si vel maximè vera dixisses (dixisti autem falsissima) doctoris tamen improbitas do-

ctrinæ

ctrinæ veritati nihil detrahere potest: quod ipse tu in fine articuli 9. cap. 30. dicti pseudojub. non dissimulas. Ergo maliciosè, ne dicam improbè facis, qui vitam Lutheri conviciis lancinando, doctrinam ipsam in suspicionem tetræ hæreseos vocare conaris. Adhæc scire debebas, eâ quoq; causâ minùs ista nos tela ferire, quia Lutherum haud quaquam caput Ecclesiæ (qui nobis unus Christus est) agnoscimus: quomodo vos Papam summum in terris Ecclesiæ Dictatorem facitis: & Ignatium Lojolam *εἰσηγητὴν* ac autorem Ordinis vestri prædicatis. Quis autem Papa? Is quem suprà dixi. Quis Lojola? Is qui se multis SCELERIBUS obstrinxit, teste Petro Ribadeneirâ Lojolitico Socio in ipsius vitâ lib. 1. cap. 9. imò qui *sibi à Deo petendum esse* dixit, *ut ejus mortui cadaver volucribus & feris laniandum abiiceretur. Nam cùm ego*, inquit Lojola, *sterquilinium &* DETESTABILIS *omninò sim, quid aliud meis* CRIMINIBUS *expetam?* ut idem Ribadeneira scribit lib. 5. cap. 3. quem domesticum de vestri Autoris improbitate testem reiicere tam vobis difficile est, quàm nobis facile, crassissima Surii, Cochlæi, Bredenbachii de Luthero mendacia negare, quos ille hostes infensissimos habuit. Nam juxta Augustinum, lib. 3. contra Petilianum cap. 10. *Inimico detrahenti credendum non est.* Ac Surii quidem ipsum te, Rœsti, pudere videtur, dũ omisso ferè nomine Commentarium ipsius allegas. Sanè scurram illum rectiùs quàm Surium dixeris: cùm non satis appareat, utrum rem seriam agat, an scurretur: adeò impudenter res manifestè veras calumniatur ac depravat, manifestè falsas confingit. Sed à monacho quid expectemus aliud? Papa Pius, qui ante Pontificatum fuit AEneas Sylvius, rabiem diabolicam monasticâ mitiorem esse, non dubitavit pronunciare hoc disticho:

Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet
Effrænis monachus, plenáq; fraudis anus.

Cochlæi quoq; portentosa de Luthero mendacia (ut quòd in disputatione Lipsicâ, nec propter Deum controversiam Pontificiam esse susceptam dixerit, nec Deum propter finiendam: item de irrito conatu in excitando Nesenno: déq; indignatione ridiculâ ob Indulgentias alii monachorum ordini demandatas) & aliis hujusmodi næniis, quis credat, nisi insano, quo ille scripsit, partium studio à syncero judicio aversus? Fecit colax Pontificalis, quod quisq; hominum subdolorum suos adulatores in tali re facere voluisset. Bredenbachium verò cùm testem appellas, dubitare me facis, mens, an frons, an utraq; tibi desit. Narrat equidem ille perlepidas fabellas, quarum multæ omnes ineptias superant, quæ in hoc genere leguntur vel in Rationali Durandi, vel apud Zachariam Chrysopolitanum, vel in Legendâ aureâ sive Lombardicâ historiâ Iacobi de Voragine Archiepiscopi Genuensis, sanè facetissimæ: quales veterum monachorum bruto palato sapivisse, mirum non est: at in hac temporum luce sapere posse Iesuitæ, & quidem Doctori Theologiæ, id verò ad miraculum usq; mirum est. Contrà perquam callidè & malitiosè (penè mihi gravius aliquod verbum rei indignitas expressisset) autoritatem illorum deprimis, qui Lutheri vitam sibi penitissimè perspectam literis mandârunt. Matthesius, qui complures annos in contubernio Lutheri vixit, & αὐτόπτης ac αὐτήκοος omnia multò accuratiùs quàm illi tui pseudohistorici ex monachorum fabulatorum, &, quod caput est, inimicorum relatu cognoscere potuit, inaccuratus tibi scriptor est. Melanchthonem, quicquid tu D. Floro nostro oggrunnias, *Ocellum Germaniæ*, & virum in unum cõflatâ totâ societate vestrâ meliorem, quem cùm alii vestrarum partium viri principes, tum

Fran-

Franciscus I. Galliæ Rex, & è Cardinalibus non nemo literis humanissimis dignatus, verbis invidiosis, & rei exasperandæ conquisitis exagitas. Sleidanum, qui procul irâ, procul odio, ex archivis cùm amplissimæ Reipub. nostræ, tum aliis actis publicis, statum religionis & Reipub. candidè veréq; descripsit, & de quo certis autoribus mihi constat Imp Carolum V. hoc tulisse judicium: *aut Sleidanus fuit meus Cancellarius, aut mei Cancellarij fuerunt mei proditores*: ejúsq; lectione delectatum, obstupuisse secretissimarum rerum narratione, & commendâsse veritatem; tu tamen, ipse mendacissimus, accusare mendacii non erubescis. Ecqua verò re Thuanus, Historicus immortalis, tenellas tuas tuorúmq; Sociorum aures offendit, ut etiam huic, qui vestræ tamen religionis est, fidem detrahas: nisi quòd vestras illas artes & sanguinolenta consilia, communi cum omnibus bonis viris Romano-Catholicis judicio damnavit?

Cæterum quæ particulatim & in vitam Lutheri, & doctrinam conjecisti maledicta, ex Pistorio, & scurrarum omnium illo principe Conrado Vettero (cujus vel nomen usurpâsse, te virum gravem ac Theologiæ Doctorem pudeat) corrasa, jam dudum à nostris Theologis solidè refutata sunt, ac liquidissimè demonstratum, quàm malâ fide & perfrictissimâ frõte in hoc toto negotio versemini: quæ tu tamen omnia quasi tibi nunquam visa malitiosè dissimulas. Ea hoc loco repetere & nimis longum, & supervacuum fuerit: nisi quòd facere tamen haud possum, cùm & Rœstius, & Pyriopola Molsheimensis Luthero tentationes Diaboli, quas cum sanctissimis quibusq; viris communes habuit, obiiciant, quin eos inspicere jubeam Ribadeneiræ sui loca quædam, in quibus ad conciliandam Lojolæ sanctitatis opinionem, istiusmodi tentationes de eo confingunt. Vt lib. 1. cap. 7. fabula est *de pulchrâ*

quadam specie quæ visa fuit nonnullam formam serpentis præ se ferre quem deinde apertè cognovit esse DAEMONEM. Et valdè bellum est quod sequitur: *non semel, sed sæpius illi apparuisse: non in via tantummodò, sed Lutetiæ etiam Parisiorum, & Romæ, non jam luce coruscum, sed aspectu deformem objectum, &c.* ubi nota, Romæ diabolum esse deformiorem quàm alibi: deinde baculo posse dæmonem abigi: id quod Lojola fecit, qui *baculo, quem gestare manu solitus erat, facilè dæmonem submovit.* Item lib. 5. cap. 9. refert, quòd DIABOLUS *dormientem Lojolam* STRANGULARE *voluerit, ac quòd tandem hunc post magnam luctã ad invocationẽ & pronunciationẽ nominis Iesu repulerit.* Vide Rœsti, vide Pyriopola Molsheimensis, quisquis es, quò vos abripiat odiũ Lutheri, quo occæcati, in eo repræhẽditis, quod in Lojolâ vestro laudatis. Hujus Lojolæ vitam in hisce Bacchanalibus non sine voluptate & risu perlegi, fabellis partim puerilibus, partim anilibus à Ribadeneira differtam, cujusmodi φλυαρίαις qui fidem habent, ab iis non mirum est adorari truncos & stipites. Legite vos Iesuitæ vitas Lutheri, Philippi, & aliorum benè de Ecclesiis nostris meritorum: & proferte ex iis similes fabulas, si potestis. Sanè, nisi maledicere Luthero desinitis, ego melancholicum hunc militem Hispanum ita depexum vobis brevi dabo, ut vos talis Autoris, nisi depuduistis (etsi jam dudum & ignominiam & pudorem consumpsisse videmini) non pudere non possit.

De nostris, quos sic appellare solenne vobis est, Prædicantibus, poteras Rœsti, tacere. Nos scimus aliter: & scimus, te mentiri: quin & illud scimus, vestræ Societatis hominibus pleraq; illa, quæ ipsis objectâsti, convenire. Ministros Evangelicæ doctrinæ fuisse ais cerdones, sutores, &c: oblitus, ipsos Apostolos fuisse piscatores. Quod dicis, homines facinorosos, infames & publicè damnatos, concionatores fuisse nostros,

ſtros, id tum credemus verum eſſe, cùm fidem nobis feceris vos calumniis, æquivocationibus, perjuriis, aliíſq; id genus mendaciis eſſe inimicos. Quin tu refuta ſodes Pariſienſem Sorbonam, à qua tuus Ordo cõmendatur hoc nomine, quòd ſit quorũvis receptator flagitioſorũ & conſceleratorũ hominum. Addis, adulteros eſſe. non ſunt: in caſto matrimonio vivunt; contra tui χρηματομισσοπράται, cùm in hiſtrionico Miſſæ ſpectaculo στρνολυπεῦνται, magnos plerunq; adulteros & ſcortatores pulſare, publica multorum ſeculorum fama, publica querela eſt. Teipſum quoq;, Rœſti, credo μισογυνῆ, ut Euripidi quidam dixit, ἀλλ᾽ οὐκ ἔνγε τῇ κλίνῃ. Pluſquam Sodomitas etiam? Deus te increpet, Satan! Hoc tibi demonſtrare æquè difficile eſt, ac illa refutare, quæ publico ſcripto nõ uno dudũ Ordini veſtro de Sodomiticâ pæderaſtiâ ſunt objecta. Noſtræ etiam aures abhorrent ab hoc flagitio, quod vobis, novis ex Hiſpania hoſpitibus, & gentis vitium, & cælibatus veſter, & ipſa adeò veſtrorum hominum doctrina, perſuadet. Nec enim ignorare poteſtis, quòd Ioannes à Caſa Florentinus, archiepiſcopus Beneventanus, Cameræ Apoſtolicæ Decanus, & in toto Venetorum dominio Nuncius ſummus, rhythmis Italicis poëma ſcripſerit, in quo Sodomiæ Papiſtarum Dianæ laudes celebravit: illámq; appellavit divinum opus, atq; affirmavit, ſe eâ plurimùm delectari, nec aliam venerem cognoſcere. Liber eſt Venetiis impreſſus apud Trojanum Navium, cujus exemplum audio in Academiæ Tubingenſis bibliothecâ extare. Quod addis de homicidis, *mutato nomine de te* tuóq; Ordine *fabula narratur*: quem conſtat nil niſi cædem & ſanguinem ſpirare. Vobis Hæreticos, quos vocatis, atq; adeò Reges & principes, nolentes ἀφόδευμα Papæ καταπίνειν, ad Orcivum illum theſaurum ablegare cæſos, fidei articulus eſſe cœpit: adeò ut ſicarios & veneficos Sanctorum

quoq;

quoq; Martyrum catalogo non erubescatis adscribere De carnificibus deniq; quod adiicis, è nostris ne unum quidē ostendes; atqui totus Ordo vester nil nisi carnificina est, ad perniciē Germaniæ, imò Europæ, nisi prospicimus, comparata.

Quod in universos deniq; Lutheranos atrocia maledicta vibras, nôris, Rœsti, ipsum crimine vacare oportere, qui in alterum paratus est dicere. Non vivimus (fatendum est sanè) vitam Angelicam: vobis tamen, audeo dicere, multis modis meliorem. Et sicubi labimur, non is doctrinæ nostræ fructus est, qui docemus & credere, & grati esse Evangelio, ac vitam agere legibus convenientem: Vobis autem scelera vestra ipsius doctrinæ sunt fructus & effectus; quippe quibus remissio peccatorum auro venalis est: quíq; *ex opere operato*, ut loquimini, & sine verâ fide culpas expiari posse docetis. Imprimis autem Indulgentias Pontificias latissimam omnibus flagitiis atq; sceleribus portam magis quàm fenestram aperire certum est. *Quod si* ergo *illi qui virtutem sequuntur* (libet enim ista Senecæ verba ex cap. 19. de beat. vitâ huc trahere) *avari, libidinosi, ambitiosiq; sunt: quid vos estis, quibus ipsū nomen virtutis* veráq; religio *odio est?* Cur verò nobis præcipuè obiicis, & Lutheri doctrinæ tribuis, quæ multò ante Lutheri tēpora de sceleribus sub Papatu optimos quosq; cōquestos esse, tu Doctor Theologiæ ignorare nō potes: nisi forsan rerū superioribus sæculis gestarum, non experientissimus, se *expertissimus* es, ut optimum Havvenreütterum nostrum, p. m. per æquivocationem Suiticam appellas. Audi, si nescis, Oliverium Mallardum Parisiensem Ordinis Minorum Monachum, cujus sermones Argentorati sunt excusi Anno Domini 1512. *Audeo*, inquit, *asserere, quòd multi sunt pejores in quarto anno nūc, quàm aliâs in septimo: & nunc in septimo, quàm aliâs in ætate perfectâ.* Et paulò antè: *quum numquam fuerint majores luxuria, injustitia*

injustitiæ & rapinæ, QUAM NUNC, &c. Et alibi: *ô Deus meus, credo quòd ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi non regnaverunt tot luxuriosi in toto Mundo sicut* NUNC *Parhisius*. Alibi rursum: *Legatis historias, & non invenietis, quòd Mundus fuerit ita depravatus sicut* NUNC *est*. Audiamus quoq; Gabrielem Barletam Prædicantem, seu Prædicatorum Ordinis Monachum de statu sui temporis in Italia ita querentem: *Nunquam Mundus fuit tam malus, ut* NUNC: *neq; tam separatus à Dei amore & proximi, ut* NUNC *est*.

Quod verò D. Schallerus noster in concione publicâ nostrorum nos peccatorum admonuit (nam & hoc pag. 177. tui famosi libri objecisti) quid hoc ad te, Rœsti? Patrem quantumvis durioribus verbis nos objurgantem ferimus: in alium ea retorquemus. A medico, qui ipse scateat ulceribus, medicinam non admittimus: à sycophantâ, qui sceleribus ipse sit coopertus, moneri, nedum increpari nos minimè patimur.

Sed quid ago? quin potiùs ex hoc diverticulo, in quod me Rœstiani scripti perduxit impotentia, redeo ad meam Lauretanam, quæ Diva, uti video, nunc mihi tertium apponit missum. ô suaves lautitias, & Iovis cerebrum! Itaq; compono me in cubitum, & immineo, & jam gusto.

CAPVT IX.

EXAMINATVR FABVLAE LAVRETANAE pars tertia, quæ μαρτυρολογίαν habet.

IN tertia narrationis parte testes producere fabulator Teremanus incipit, quorum autoritate fulciat allatas hactenus nugas: testes, bone Deus, quàm non locupletes & ἐκ Διὸς δέλτων! quos nec albos, nec nigros quisquam novit.

Primus est Non nemo (anonymus enim est) vir sanctus:

cui Maria in somnis apparens, ista omnia revelavit. Qui cùm ista disseminâsset; sexdecim viris Anconitanæ Marchiæ (hi quoq; nomine carent) id negotii datum est, ut in Galilæam profecti, domicilii hujus vestigia inquirerent: quæ cùm tandem indagâssent, & in muro quodã perscriptum reperissent, sacellum Mariæ illic fuisse; spatium dimensi, id neq; majus, neq; minus esse eo, quod nunc occupat, depræhenderunt.

Alter testis est nescio quis Eremita, Paulus à Sylva; qui, cùm festo die natali B. Virginis ad Lauretanam ædem properaret, clarissimi luminis splendorem, longitudine 12. latitudine 6. pedum supra templum aëre sereno conspexit: atq; ex eo sanctissimæ Virginis præsentiam dijudicavit.

Tertius deniq; & quartus, ab ipso Teremano, autore hujus narrationis, auditi testes sunt Paulus Renaldutius, cujus *avi avus* cellam Nazarethicam per mare advolantem conspexit: & Franciscus Prior, cujus itidem *avi avus* prope sacellum in sylvam delatum habitavit: ídq; ex eo loco postea in montem duorum fratrum transvolare vidit.

Quum Silus testis, ut est apud Ciceronem lib. 2. de Oratore, læsisset Pisonem reum, cui Crassus aderat, prolato crimine, quod se in eum dictum audisse dicebat: *Potest fieri, Sile*, inquit Crassus, *ut is, unde te audisse dicis, iratus dixerit.* Annuit Silus. *Potest etiam*, inquit, *fieri, ut tu non rectè intellexeris.* Quum id quoq; toto capite annuisset Silus, ut se Crasso daret, subjecit Crassus: *Potest etiam fieri, ut omninò, quod te audisse dicis*, NUNQUAM *audieris.* Hoc adeò præter expectationem, ut Silum testem omnium risus obrueret. Sanè Vergerius operæ laborísq; compendium facere potuisset, si intestabiles hosce testes, vel Teremanum potiùs, qui eos fingit, simili interrogationis genere ridendum propinâsset. Non facit: argumentorum cumulo ac pondere eum opprimit: ex quibus

Pri-

Primum. Teſtis, cujus neq; nomen proditur, nec patria, nec profeſſio, nec vita, nec autoritas, nec tempus deniq;, quo teſtimonium dixit, is fide dignus non eſt.

Talis eſt primus ille teſtis. Ergo, &c.

2. Teſti, qui ſomnio nititur, fides habenda non eſt.

Talis eſt primus ille teſtis. Ergo.

3. Revelationes in Papatu pleræq; commentitiæ, & ad falſa dogmata invehenda confictæ fuerunt.

Ergo hanc quoq; primo teſti in ſomno factam revelationem (ſi quæ modò umquam facta eſt) talem eſſe credibile eſt.

Antecedens etſi poſſit infinitis exemplis demonſtrari, duobus ſolummodò confirmat autor. Primum vetuſtius eſt, Gregorii I. cognomine Magni, qui talibus ſomniis & ſpectris importavit in Eccleſiam, enormem illam impoſturam Purgatorii. Tales apparitiones legant, quibus ridere libet, in ejus dialogorum libro quarto. Alterum ad ætatem Vergerii pertinens, quo Mutius in ſuo quodam libro affirmat, revelatum fuiſſe cuipiam anonymo, Virginem Mariam mirandum in modum oblectari, quum audit aliquem erga ipſam proferentem iſta duo jucundiſſima verbula, DOMINUS TECUM: ideoq; omnes, qui recitant Angelicam ſalutationem, debere illa verba tertiùm repetere. Hanc anilem & inſipidam revelationem Pontifex Iulius III. magno totius Europæ riſu, tamquam veriſſimam & graviſſimam, editâ Bullâ commendare non eſt veritus.

4. Anconitanam Marchiam incolentes habentur aſtuti & cordati homines.

Atqui ſtupidiſſimi & communi propè ſenſu carere viſi fuiſſent, ſi commoti verbo unius homuncionis, qui ajebat ſe neſcio quid ſomniâſſe, mox voluiſſent, cōvocato totius provinciæ concilio, decernere, ut ſedecim viri ex inſignioribus

aggrederentur iter, quod est trium millium milliariorum Italicorum (German. 750.) deinde iter & naufragiis & piratarum incursione periculosum: maximo etiam cum sumptu ferè millium coronatorum (Nam singuli, qui illud iter suscipiunt, sexaginta coronatos ad minimum pro vecturâ, & simul pro victu solvunt) postremò ad investigandas res vanissimas & incertissimas.

Ergo tale quid de Anconitanis præsumendum non est.

5. Non est expressum in illa narratione nomen ullius eorum, qui in consilium venerunt, nec ipsorum Legatorum: nec indicatus locus, in quo concilium habitum: ac ne tempus quidem. Quæ certè, si agebatur de conciliandâ fide rebus gestis tam magnis, omittenda non fuissent.

Ergo narratio falsa est.

6. Initio Narrationis scriptum est, Ecclesiam Beatæ Mariæ de Loreto fuisse Cameram domûs Mariæ. Si ergo erat domus, fuerunt in eâ proculdubio aliæ etiam mansiones sub eodem tecto, & in iisdem fundamentis: ut culina, cella, & alia. Quomodo ergo sola camera à reliquâ domo fuit avulsa? & quo pacto potuerunt illi sedecim Legati reperire vestigia fundamentorum illius Cameræ seorsim à fundamentis totius domûs?

7. Ab eo tempore, quo illa fundamenta jacta fuerunt, usq; ad id tempus, quo Legati dixerunt se ea reperisse, præterierunt non pauciores quàm mille ducenti anni. Ergo falsum est, illa fundamenta adhucdum extitisse. Ratio consequentiæ à majore ad minus. Cùm enim spatio tot sæculorum etiam publica ædificia, profundissimis fundamentis, saxis & columnis extructa, corruant & pereant, ita ut nec vestigium appareat: quemadmodum hodiè vix vestigium extat illius celeberrimi templi Hierosolymitani, 46. annorum spatio extructi: multò minùs

minùs privatæ & pauperis alicujus domunculæ fundamenta tamdiu superesse possunt.

8. Ex Iosephi libro 7. de bello Iudaico, & Dione in vitâ Trajani patet, quantoperè primùm Vespasianus, & post eum 40. circiter annis Trajanus afflixerit vastaveritq; non modò urbem Hierosolymitanam: sed totam adeò Iudæam. Atq; Dio, arces Iudæorum 50. dirutas, vicos 985. igne consumptos. Ergo post tantam desolationem & excidiũ, & post tam multa sæcula adhuc potuisse consistere exiguam quandam casam aut cameram, vel ejus etiam fundamenta adhuc conspici quivisse, minimè credibile est.

9. In relatione sedecim Legatorum, qua scriptum in muro quodã se reperisse dicunt, illic fuisse Mariæ Cameram, nulla planè circumstantia exprimitur. Ergo credibilis non est.

Antecedens probatur. Nec enim exprimunt, ad quâm domum vel ædificium pertinuerit ille murus: ad vetúsne aliquod, an ad novum: publicum, an privatum: item scriptúmne carbone, aut cretâ rubenti: quâ item linguâ, Arabicâne, an Hebræâ, Græcâ, aut forsitan Italicâ: quum illic nullus sit Italicæ linguæ usus.

10. Scriptura, de cujus autore non constat, fidem non meretur.

Atqui de illius scripturæ in muro expressæ autore non constat. Quid enim si aliquis Turca vel Iudæus illic ita scripsisset, ut Christianis illuderet? quod sæpè solent. Ergò fidem non meretur.

Hæc de primo teste, & Legatis, qui ejus monitu in rem præsentem ivisse finguntur.

Vndecimum argumentum ad secundum testem pertinet, Faunum illum, Paulum à Sylva Monachum: cui facta Mariæ apparitio si vera est, cur ea non est facta interdiu potiùs

quàm noctu, ut Maria hominum frequentiæ se ostendendo, miraculi fidem faceret? Cur item in eo lumine de cœlo descendisse credatur, cùm è cœlo omnia (ex Papistarum sententiâ) prospiciat?

Hæc de secundo teste. reliqua ad tertium & quartum pertinent.

12. argumentum. Testes, qui legitimè non audiuntur: nec, ut jura civilia & canonica jubent, examinantur, fide digni non sunt.

Tales sunt isti duo rustici, Franciscus Prior, & Paulus Rinalducius. Ergo, &c.

Minor probatur. Nam neq; præsente aut jubente magistratu, nec scribente notario mandata fuerunt literis eorum dicta: verùm solus sacrificulus Teremanus ea seorsim & privatim scripsit. Cui verò umquam permissum fuit, ut in suâ propriâ causâ testes citaret, interrogaret, & verba eorum describeret? Et quis non videt, sacrificulum illum Lauretanum, cùm dicta duorum illorum rusticorum susciperet, id in suâ ipsius causâ fecisse? Quid enim aliud quærebat, quàm ut suæ rurali parochiæ præ cæteris existimationem famámq; conciliaret: unde consequeretur concursus populi, qui oblationibus opimis ejus aram oneraret?

13. Testes non de visu & propriâ scientiâ, sed de auditu loquentes, fidem non merentur.

Atqui duo isti testes non ipsi viderunt quod narrant: sed ex auditu, & quidem valdè longinquo auditu, ac mendaciis opportuno, scilicet *ex avorum suorum avis* (si credere fas est) istud acceperunt. Et quid si avi isti fuerunt non modò rustici rudes, deliri, stupidi: sed nebulones etiam, impostores, furciferi? Ergo fidem non merentur.

14. Qui narravit, vidisse se Angelos Ecclesiam per mare traii-

traiicientes: nec retulit, quótnam fuerint illi Angeli, nudíne an vestiti: quibus item vestibus & quo colore: præcipuè an alas habuerint: humeris ne tulerint Ecclesiam, bajulorum ad instar; an fortè per mare fluitantem sine ullo navigio traxerint: is minimè credibilia narrat.

Atqui hæc talia, quæ in tanti momenti narratione oportebat exprimi, narrator omisit.

Ergo narratio vero absimilima est.

15. Angelos Cameræ bajulos non parum itineris emensos oportuit. Primùm enim ex Nazareth ad mare contenderunt: deinde ex Asiæ littoribus per ingentes maris mediterranei tractus in Illyricum: ex Illyrico trans mare Adriaticum in quandam agri Piceni sylvam: inde in montem duorum fratrum: ac deniq; Lauretum: quæ certè excedunt tria millia & quinagenta milliaria Italica (875. German.) Cùm autem Orbis tantâ hominum multitudine refertus sit; cur nullus alius inventus est, præter unum illum Rusticum; non nauta, non piscator, non pastor, non arator, non venator (omnes enim hi frequentiùs sub dio degunt) qui illud tam magnum monstrum viderit aperto cœlo volitare.

Ergo mentitus est Paulus ille Rinalducius, quum diceret, (si modò umquam dixit) se ab avi sui avo talia audivisset.

16. Si vel maximè concedatur, illum rusticum tale quippiam insolens vidisse, cùm vel ligna secaret, vel boves pasceret in illis agri Piceni montibus, qui mari imminent: fieri tamen potuit, ut viderit navim passis velis mare sulcantem, quam putârit illam esse cameram, per angelos albis indutos vestibus apportatam.

17. Si sacra ædicula fuit in sylvâ primò, deinde monte duorum fratrum deposita: cur non illic apparent aliqua vestigia? Si enim in Iudæâ post integra sæcula duodecim, à 16. Legatis illis

illis adhuc inveniri fundamenta potuerunt; posset utiq; etjam illic vestigium qualecunq; post minoris decursum temporis ostendi, si qua fides dictis inesset.

Hæc argumenta Vergeriana sunt, quæ sic liquent ac lucent, ut nisi quis de potestate mentis exierit, iis non assentiri non possit. Et tamen ea sophisticæ nebulis induere Turrianus satagit.

Ad primum respondet, non fuisse necessarium scriptori, prodere nomen ejus, cui facta revelatio, vel patriam, vitam, professionem, auctoritatem: cùm hæc historia ipso rerum exitu comprobetur, scilicet MIRACULIS, quæ in domo Lauretanâ fiunt, valentioribus ad suadendam veritatem factæ revelationis de conclavi Virginis transportato, quàm nomen Viri, cui facta revelatio. Μονοτόνος hæc tua, Turriane, cantilena est, & chorda illa rupturæ proxima, quâ semper eâdem oberras, quámq; infrà in capite de miraculis penitus abrumpemus.

Ad secundum argumentum respondet primò, delirum somnium id non fuisse, sed veram revelationem, *id eventu rei comprobari*: quo eventu? *miraculis*. ô quàm nauseo ad hanc sæpiùs appositam, sæpiùs apponendam cramben! *& probari cuncto Orbi.* quid? Orbi? cui Orbi? nisi tu fortassis Orbem, Italiæ tantùm angustiis, & paucis quibusdam angulis Europæ metiris, infectis à *superstitione*, qua *nullam scabiem scabiosiorem esse*, tuus autor Ioannes Iovianus Pontanus in Antonio dialogo scribit, cùm ei de simili materiâ, scilicet Pratensibus in Italiâ civibus in suppositititum Divæ Mariæ cingulum intentis, sermo est.

Deinde ut se non modò delirum, sed & blasphemum ostendat, audet hanc fabulam sacris literis omni exceptione vel dubitatione majoribus æquiparare, & veritatem Evangelicæ historiæ

historiæ cum suis turpissimis mendaciis confundere. *Si habenda fides*, inquit, *est somnio Iosephi, quo, in AEgyptum fugiendo, tyrannidem Herodis declinare jussus est : quid ni haberetur etjam huic de AEde Lauretanâ revelationi ? Nam ut isthic exitus probavit, non inane Iosephi somnium, sed revelationem divinam fuisse; ita hîc.* Quo loco de Christi in AEgyptum adventu fusam ἐκβολὴν τῦ λόγυ, ut Thucydides appellat, seu digressionem instituit, nec necessariam, & ad propositum nullatenus pertinentem: in quâ ipsâ tamen digressione puerilem planéq; ridiculum errorem commisit, dum scripsit, Philonem Alexandrinum in libro de Cultoribus sive de vitâ contemplativâ testari, quod olim in AEgypto Christiani Monachi plurimi floruerint, & relictis omnibus rebus curisq; sæculi sanctissimè vixerint. Tantum enim abest, ut illi Monachi, quorum meminit Philo, Christiani fuerint, ut pertinaciores hostes non habuerint Christiani: quippe Essæos illos fuisse (Iesuitis tam similes, quàm ovum ovo, Sosiæ Sosia est) pluribus cæremoniis Iudaicis addictos, cùm verba Philonis ostendunt: tum præclarè magnus ille Scaliger docet ab initio libri 6. de emendat. temp.

Tertiò nos ipsis etiam dæmonibus deteriores facit. Illi namq;, ut ex Iacobi 2. vers. 19. patet, *& credunt, & contremiscunt* : at nos increduli scilicet atq; παχύδερμοι Lutherani, nec fidem Lauretanæ Divæ adjungimus : nec ad ejus tremenda mysteria contremiscimus. Ha, ha, ha, he. Nam ridere libet : respondere non libet.

Tertium argumentum Turrianus alto silentio dum transit, sapit. Est enim profectò inter præcipua, quæ ad Idoli Lauretani demolitionem pertinent. Vtiq; constat, illud præcipuè sæculum, quo hæc fabula primùm est excogitata, Revelationum feracissimum extitisse, quæ pleræq; , ac prope est ut

audeam dicere omnes à ſacrificulis, avariſſimo hominum genere, confictæ fuerunt, hoc diſcrimine tamen, ut aliæ fælices eſſent, illæ ſcilicet, quæ diligentiores peritioréſq; actores nactæ, fidem invenerunt: aliæ verò infælices, & parum proſperè tentato dolo aut detectæ, aut oppreſſæ. Cùm autem, ut juris verbum eſt, qui ſemel malus, ſemper præſumatur malus, quid ni ex hoc poſteriore genere de priore judiciū ferremus, & in univerſum talibus ſomniatoribus ac enthuſiaſtis fidem abrogaremus? Ne deſit exemplum, Franciſcus Petri Bernardonis filius, is, qui ſe in ecſtaſi cum Chriſto commiſſum, ac totidem ab eo plagis & ſtigmatibus, quot ipſe acceperat in cruce, iiſdem in locis compunctum fuiſſe fingebat, adeò fælici fraude Mundo impoſuit, ut ejus familia non minùs ac hodiè Ieſuitarum Secta, non multorum annorum ſpatio, partu fœcundiſſimo, proventúq; penè incredibili, ſerpētum inſtar, ſe diſſeminaret, quod in Leberide Ieſuitica lib. 1. cap. 8. docet V. C. Theophilus Elychnius. Iam ſi quis legat quæ Ioannes Stumpfius lib. 13. capp. 33. 34. & 35. Annalium Helveticorum, de quatuor Monachis Dominicanis Bernenſibus commemorat, qui itidem, ſed minùs proſpero ſucceſſu & ęterno cum ludibrio, typicum Salvatorem, ac è ſartore ϛιγματίαν adinſtar Franciſci conabantur efficere: admodum obeſæ naris ſit oportet, cui ex hac poſteriore non illa quoq; fraus & impoſtura ſuboleat. Si quis item apud Sleidanum lib. 9. poſt initium, de Franciſcanis Aurelianenſibus cognoſcat, quorum meritiſſimum ſupplicium, Pontificum interceſſione averſum, & fracta in eorum gratiam legum judiciorúmq; veneranda poteſtas: & apud Eraſmum de illo decātato Dordraci Curione, qui Annibalis à Fabio ad Caſilinum circumventi, & quaſi indagine capti aſtu & arte (de qua Livius lib. 22. cap. 16. & 17.) bonos Quirites deluſit: hæc inquam & alia depræhenſarum impo-
ſturarum

ſturarum exempla, cujuſmodi poſſent infinita commemorari, cui non cæteras quoq; jactatas à ſacrificulis apparitiones ſuſpectas redderent? Et verò jam reddiderunt, cùm nec ad fingendum nova ſacrificuli, nec ad credendum alii tam faciles hodiè, ut olim, depræhendantur. Quò magis eſt mirandum, Ieſuitas tam emunctæ naris homines, in hac tam eruditi ſæculi luce, tantâ alieni judicii ſecuritate, tam putidas & ineptas de Lojolæ ſui viſionibus apparitionibúsq; fabulas, profanitatis & impietatis plenas oculis hominum elegantiſſimorum obtrudere minimè veritos, in quib⁹ omnem vanitatem impudentem ſupergreditur, *quòd etiam Biblia ſacra, ſi interciderent, poſſe reſtitui nobis ex viſionibus Lojolæ*, Ribadeneira in ipſius vitâ lib. 1. cap. 7. tradit. Franciſci conformitatum liber ille πολυθρύλλητος, è mendaciſſimis ineptiis conſutus, jam dudum ſanioribus Pontificiis, atq; ipſis etiam Ieſuitis ſordere cœpit, nec illum tueri ſuſtinent, non obſtantibus Bullis Alexandri IV. & Gregorii IX. qui eas nugas *tenendas mandârunt fidelibus, & credendas, & ſub notâ* HAERESIS *puniendos oppoſitum ſapientes.* Atqui Lojolanæ illæ viſiones, quas & ſcripto Ribadeneira, & typis etiam æneis Anverpienſes nobis legendas ſpectandáſq; dederunt, ſunt iſtis Franciſcanis apparitionibus haud multò credibiliores, quædam etiam vaniores.

Quarti argumenti membra præcipua Turrianus omittit, ac tantùm de ſumptibus reſpondet, ſedecim illos Legatos *fortaſſis* habitu tenui, & ſimplici commeatu uſos, Nazarethum iviſſe, ut hodiè etiam peregrinatores ſolent, qui vel Palæſtinam viſitant, vel D. Iacobum Compoſtellanum ſalutant. Sunt hæ nugæ nugaciſſimę, quibus equidem vix habeo quod reponam. Nam ſi vel maximè concedamus, à Legatis illis frugalibus altero tanto minus in illud iter expenſum: tamen hoc ipſum nimium eſt. Imò nimium eſt, unius nugatoris

ſomnio perſuaſos, vel unum gradum promoviſſe, unum obolum expoſuiſſe.

Ejuſdem furfuris reſponſio ad quintum argumentum eſt: non ſcilicet fuiſſe neceſſe, nomina Legatorum ſcire, neq; locum congregationis factæ ad Legationem decernendam: quia miracula Lauretana omnem dubitationis ſcrupulum eximunt, adeóq; *res ipſa clamat.* Quæ res? quæ? Nimirum res ipſa clamat, te in hoc luto, utroq; pede hærere, ac perſentiſcere argumenti pondus.

Ad ſextum, ſeptimum, octavum argumentum conjunctim hæc reſpondet: primò, *ſatis eſſe, iſta vel recitare tantùm, ut audiant Catholici, quod interim rideant.* Sed ô bone, Sardonius hic tuus riſus eſt, qui nos opinari facit, te, verbo Demoſthenico, τὸν ἐγκέφαλον ἐν ταῖς πτέρναις καταπεπατημένον φέρειν: cui hominum generi ſplen, etiam cùm nulla cauſa, imò cùm dolendi cauſa, petulantior eſt.

Deinde provocat ad omnipotentiam Dei, qua οἰκόπεδον, ſive area, portatilis illius domûs, poſt tantum temporis intervallum adhuc ſupereſſe, ipſáq; domus per mare, per terras, immenſo ſpatio tranſvehi potuerit. Sed hoc κρησφύγετον ſuperiùs in capite 2. detexi; nec addo plura.

Tertiò, huic miraculo fabuloſo ex ſimilibus fidem ut faciat, legere nos jubet, quæ hiſtorici narrant: tempore Conſtantini cognomento Copronymi, cùm ingens terræmotus in Syria factus eſſet, quaſdam urbes funditus corruiſſe; alias ad mediam partem: nonnullas à montanis in ſubjectam planitiem, cum cameris & ædificiis, abſq; ullâ ruinâ tranſportatas, ad ſex uſq; milliaria. Hîc mirum, quod non edit nomen illius hiſtorici: fortè malè fidit ipſius autoritati. Et ſanè narrationis illa lacinia, de domibus per ſex milliaria abſq; ruinâ tranſportatis, ab ipſo Turriano, vel alio fabulatore aſſuta & attexta videtur.

videtur. Zonaras quidem certè, scriptor fabulosis miraculis non rarò delectatus, si id vel speciem veri habuisset, utiq; non omisisset. Atqui omisit, & hoc tantùm scribit in rebus Copronymi: maximo terræmotu multas & Ecclesias, & monasteria, & ædes, in Palæstinâ & Syriâ corruisse, multáq; hominum millia ruinâ periisse. Hoc verò tantum abest, ut promoveat tuam, Turriane, causam, ut evertat etiam. Cùm enim Copronymi tempore tuam ædiculam adhuc in Palæstinâ hæsisse fatearis; multò credibilius est, isto Palæstinæ terræmotu ipsam quoq; corruisse, si modò tum adhuc superfuit, ac nō diu antè, tot annorum spatio in terram ac pulverem abiit. Præterea hoc quoq; nomine alienum à proposito allatum exemplum est, cùm terręmotus causas naturales habeat: hunc verò Nazarethicæ domunculæ volatum miraculo tribuunt. Et miror, non alia potiùs à Turriano allata exempla, quæ cum Lauretanæ translatione magis congruerent: quorum ipsi copia ex illo profundissimo vastissimóq; fabularum Papisticarum dolio deesse non potuit. Exempli causâ, quòd Baronius in Annalibus Ecclesiasticis nugatur, casam illam Bethlehemiticam, in qua natus Christus est, post multa sæcula, è speluncâ Bethlehemiticâ Romam fuisse translatam. Et in Angliâ, Erasmo teste, tectum ajunt extare ante quandam ædiculam parathalassiæ Virginis, eò subitò ante plura sæcula delatum è longinquo, cùm nix obtexisset omnia. Hæc, inquam, & alia similia, è vestrâ, quam jactatis, duorum triúmve sæculorum antiquitate deliramenta, cur non potiùs adduxisti, Turriane? Sed nimirum fabulam excusare fabulâ, lutum, quod ajunt, purgare luto noluisti.

Ad nonum argumentum Turrianus obmutuit. Et est profectò sic evidens & ἀναντιλογώνιστον, ut evertendæ domui Lauretanæ vel unum sufficere queat: præsertim illa pars argu-

menti, quæ de linguis est. Etenim ignorare nemo potest, quanta temporibus illis, ut religionem, sic literas & linguas caligo, quàm densa nubes involverit: ut credibile minimè sit, sedecim istos Anconitanæ Marchiæ viros, in Palæstinam ablegatos, Hebrææ, vel Arabicæ, vel Græcæ linguæ (quarum aliquâ illud in muro scriptum, si quod fuit, expressum fuisse oportuit) cognitionem habuisse.

Decimum argumentum sicco quoq; pede prætergressus Turrianus, ad undecimũ hæc respondet: ac primò quidẽ ejus partem priorem: Ideò Mariam apparuisse noctu: quia lumen nocturnum illustrius, splendidius & mirabilius apparet: quomodo Deus in columnâ ignis propter splendorem populum suum duxit per noctem, Exod. 13. vers. 21. Sed hoc exemplum impertinentissimum est, ac magnam Turriani ἀκρισίαν arguit. Non enim ideo columna ignis præcessit Israëlitas, ut ejus splẽdor conspectior esset quàm interdiu: sed ut itineris dux esset: quâ eâdem de causâ per diem columnam nubis præcessisse ibidem scribitur.

Ad alteram argumenti partem respondet: quemadmodum Spiritus Sanctus in columbâ descendens, non univit secum columbam, nec visus est substantialiter & in se, sed in signo, tanquam in speculo: ita quoq; Mariam Virginem apparuisse Paulo à Sylvâ, non ipsam substantialiter, sed in signo luminis, tanquam speculo. Vnde non ampliùs habemus dubitare, quod etiam suprà demonstratum, Papistas Mariam Deam constituere, cui quicquid in sacris literis de Deo prædicatur, non sine blasphemiâ commune faciunt. Ac de descensu quidem Spiritus Sancti in columbâ, non disputo: quia res theologica est: nec mea falx pro istâ messe. Illud tantùm dico, Turrianum hoc loco fabulam, quam defendendam suscepit, ipsum destruere. Διαῤῥήδην enim habet Fabula: B. Virginem

nem in illo lumine ipſammet apparuiſſe in die Nativitatis ſuæ, ut videret feſtum ſuum. Neq; verò hoc abludit à ſtylo Curiæ Romanæ, cui talibus ipſius Mariæ apparitionibus nihil ſolennius eſt, nihil frequentius. Ex infinito exemplorum numero producam inſigne aliquod, ex Cæſario Ciſtertienſi monacho, qui ſcripſit circa annum 1222. ut ipſe indicat diſtinct. 10. cap. 47. & 48. Is autor diſtinct. 7. cap. 35. de Beatrice quadam æditua in Monialium neſcio quo conventu mira narrat: quæ cùm ſacerdotem adamatum ſecuta, primum in ejus cõtubernio Virginitatis naufragium feciſſet, & jactâ tam turpi aleâ, totis deinde 15. annis publicè quæſtum corpore feciſſet; mitiſſima Virgo Maria, ne tam humanum officium puellæ damno foret, néve fama ejus, dum foris olenti in fornice proſtat, domi interea detrimenti quid caperet, toto illo tempore os humeróſq; Beatrici ſimilis, abſentis vices obiit, æditämq; geſſit fortem fidámq;: donec reduci tandem Beatrici loco rurſus cederet, atq; ita ſervaret ſi non rem, at fidem virginalem integram & illibatam: admonitâ tamen Beatrice, ut peccandi finem faceret, & veteris militiæ laſſa atq; exhauſta, quietem porrò coleret. Quid quòd eadem Diva Maria, teſte eodem Cæſario cap. 33. & 51. militi ſuavium retulit, & monachum deoſculata eſt morientem? credo, quòd non ampliùs eum ſe viſuram putaret. Et neſcio cui alteri quotidianum *Avemaria* pronũciare ſolito, cùm ex phreneſi laborans, caſu ſibimet linguam dentibus amputâſſet, non verita eſt mammas in remedium ſugendas offerre, ut eſt in ſpeculo hiſtoriali pag. 1. Divo item Bernhardo contigit guſtare lac ex eâdem mammâ, quam ſuxit puer Ieſus, ut ſcribit in Colloquiis Eraſmus. Quæ cùm ita ſint, mirari ſubit, quid in mentem Turriano venerit, ut B. Mariæ præſentiam hoc loco negaret.

Quæ deinceps idem de apparitionibus deblaterat, & ex Euſtratio

Eustratio probat, animas corpore liberas ascendere & descendere, atq; mitti huc ad nos instar Angelorum (cui sententiæ adstipulatur etiam Rœstius in cap. 12. pseudojub. artic. 22. adducto Divi Augustini loco ex libro de cura pro mortuis, cap. 16. ubi tamen Augustinus expresse dicit, *ista fortasse sic esse: se ea definire non audere, ac malle à scientibus ista perquirere*) jamdudum cùm ab aliis theologis nostratibus, tum præcipuè à D. Iacobo Heilprunnero in Acatholico Papatu pag. 120. & seq. solidè refutata fuerunt: quem eximium librum rabies Lojolitarum admordet: sed admordet tantùm. Nam frangent in eo dentem citiùs quàm impriment. Nobis illa Scripturæ dicta sufficiant: Sap. 3. vers. 1. *justorum animæ in manu Dei sunt, &c.* Item lib. 2. Samuel. cap. 12. vers. 23. David de filio suo mortuo: *Ego vadam ad eum: ille verò non revertetur ad me.* Iob cap. 7. vers. 9. *qui descenderit ad inferos, non ascendet.* Lucæ 16. vers. 26. Abraham ad epulonem: *inter nos & vos chaos magnum firmatum est, ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint: neq; inde huc transmeare.*

Ad argumentum 12. quo testium fides in dubium vocatur, initiò respondet Turrianus, non hîc agitari causam aliquam criminalem, aut litem pecuniariam: proinde legitimâ testimoniorum dictione & examine nihil opus esse. Imò contrà ego: si in lite pecuniariâ, vel aliis exigui momenti controversiis, tamen in testium explorandâ fide, præcipua judicum cura versatur; quantò magis id in Fidei negotiis præstandum erit?

Deinde ait, Adrianum Imperatorem gentilem solâ ratione naturali duce rectiùs de fide testium sensisse quàm hæreticos: cujus rescriptum ad Valerianum extat in Pandectis lib. 22. de testib. tale: *sicut non semper, ita sæpè sine publicis monumentis cujusq; rei veritas deprehenditur. aliàs numerus testium, aliàs*

dignitas & auctoritas, aliàs veluti consentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem. Ita hîc etiam ædis Lauretanæ migrationes consentiente famâ confirmari, cujus fides SIMPLEX omni demonstratione firmior & constantior sit. ô nugatorem! Itáne verò fama Lauretanæ undiquaq; consentiens est? annon pars Orbis Europæi melior saniórq; isti imposturæ turpissimæ contradicit? Et quàm tu velles, nos *simplici*, ut ais, hoc est, cæcâ, brutâ, planéq; ad Iesuiticum obedientiæ votum conformatâ fide hæc talia credere. Iam quia improbulâ curiositate aliquanto diligentiùs in artes vestras sacrilegas & crumenilegas inquirimus, hoc nimirum vobis dolet: hic in ulcere vestro tanquam unguis est. Imò si vel maximè Turriano largiamur, famam de Lauretanæ μεταφορᾶ consentire: nihil tamen ille Digestorum locus eum juvare potest: qui hoc tantùm vult: consentientem famam etiam medium probandi esse, hoc est, aliquando probare. Vnde sic argumentatur Iesuita: *Consentiens fama aliquando probat. Ergo hîc probat.* Item, *aliquid probat. E. in solidum probat. Est inter species probationum. E. per se sola absolutè fidem facit.* Quod ἄτοπον & ἀσυλλόγιστον est.

Quamvis autem facilè concedimus illud Hesiodium:

> φήμη δ' οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται, ἥντινα λαοὶ
> πολλοὶ φημίζουσιν ———

& illud vulgò jactatum: *Vox populi, vox Dei*: tamen etiam è Virgilii 4. AEneid. scimus, quòd fama *tam ficti falsiq; tenax, quàm nuncia veri* sit: quódq; *multa in utramq; partem crebrò mentiatur*, ut inquit D. Hieronymus ad Ruffinum: & Quintiliani verbis lib. 5. instit. cap. 3. *initium à malignitate, incrementum à credulitate capiat*: ut omninò diligenter hîc autores famæ spectandi, ac tum demum aliquod ejus momentum ac pondus sit, quum ab honestis & gravibus viris orta aut con-

firmata est: secus, si ab aliis. Quod discrimen hoc loco Turrianus haudquaquam observavit. *Frequenter fama immittitur ab his qui desiderant ita esse*, ut scribit alicubi Bartolus, testis Romanensibus omni exceptione major. Iam autem communis jureconsultorum vox est: Famam immissam aut fabricatam ab iis, qui præmio & mercede corrupti sunt, aut compendium inde sperant, vitiosam esse, nec attendendam. quod & jus Pontificium innuit in c. osius. de electione & electi potestate. Et alia: *cùm ipsis auctoribus famæ non creditur, multò minùs famæ: ne plus auctoritatis sit in transsumpto, quàm in originali.* Cùm ergo Lauretanæ famam primitus ortam esse, atq; etiamnum foveri constet ab iis, quibus, ut cum Plauto loquar,

Nihil est profectò stultius, neq; stolidius,
Neq; mendaciloquius, neq; argutum magis,
Neq; confidentiloquius, neq; perjurius:

haud video cur ea magnoperè sit attendenda. Et cur, quæso, non admittunt eam, quamvis summè consentientem tót q; testimoniis testatam, in Ioanne Papissâ? cum quâ famâ nullo modo comparari meretur ea, quæ de Lauretanâ domo est.

Hoc loco non parum Turriano Rœstius adversatur, in pseudojub. cap. 4. artic. 2. Turrianus enim testium examen tantùm in causis criminalibus aut lite pecuniariâ necessarium existimat: Rœstius autem illud etiam in ἀποθεώσει seu Canonizatione, quam vocant, requirit: eâq; causâ malè ipsum habet, quod insalutato Papâ Lutherum catalogo Beatorum adscripsimus: *cùm tamen* (ait) *nec vita, nec mors Lutheri, uspiam à legitimis Iudicibus sit examinata: & si est,* (quærit) *à quibus, quando, ubi, quibus testibus, quo examine?* Quasi verò Lutheri sanctitatem & innocentiam, quæ quidem in hominem cadat, testatam non fecerint omnes, qui cum ipso conversati, ac hostium

ſtium etiam illi, qui veritatem candidè fateri voluerunt. Eraſmum Roterodamum ex hoſtibus audi lib. 11. epiſt. 1. hæc de Luthero ſcribentem: *Hominis vita magno omnium conſenſu probatur. Iam id non leve præjudicium eſt, tantam eſſe morum integritatem, ut nec hoſtes reperiant quod calumnientur.* Eſtq; vel illud permagnum Lutheri probitatis argumentum, quòd, cùm in vitâ non habeant inimici, quod verè repræhendant, verba cavillantur, eáq; & mutilãdo, & ex hypotheticis categorica, ex ironicis atq; μιμητικοῖς καταφατικὰ faciendo, ſuam improbitatem & malitiam, dum alienam producere volunt, clariſſimè produnt. At, inquis, nec convocato concilio, nec cæteris adhibitis ſolennitatibus, quales ante paucos annos in canonizatione Caroli Borromæi, de quo liber Petri Iuſſani, vidimus adhiberi, Beatus factus Lutherus eſt. ô quàm benè tecum agitur, Dive Petre, benè Paule, benè cæteri Apoſtoli, aliíq; primitivæ Eccleſiæ Sancti Sanctæq;: quin & vobiſcum benè, Veteris Teſtamenti cœlites, quòd tam diuturni temporis quaſi quadam præſcriptione ſedem illam inter Beatos occupâſtis. Eam enim, ſi veſter ortus in hæc novorum ex Hiſpaniâ hominum tempora incidiſſet, profectò vobis controverſam facerent Ieſuitæ, cùm nec ipſi, Beatorum Ordini fueritis adſcripti per illam Papiſticam ἀποθέωσιν ſive conſecrationem, quæ, ut pleraq;, Papiſtarum alia, impiæ gentilitatis impiũ imitamentum eſt; id quod dubium eſſe nemini poteſt, qui Herodianum lib. 4. de conſecratione Imp. Severi, Blondum lib. 2. Romæ triumph. & Panvinium lib. 2. faſt. legerit. Quid, quòd non rarò Papiſtarum ἀποθεώσεις illæ, non minùs ac gentilium, ἀποκολοκυνθώσεις Claudianæ, ac ἀποθηριώσεις eſſe depræhenduntur? Quare ut ethnicam illam Romanenſium canonizationem, tanquam idolomanię & nundinationis Babylonicæ partem, Eccleſiæ primitivæ purioríq; prorſus

incognitam, spernimus & aversamur: ita Lutherum, propter & vitæ sanctimoniam bonis omnibus testatam, & pietatis Zelum, & præcipuè divinum repurgatæ religionis opus, ad rabiem usq; contradicat licet Rœstius, pii boniq; cuncti Beatum pronunciant: nec ita tamen Beatum, ut more Papistico, hoc est, idololatrico, adorandum unquam statuerint. Eximium enim ac minimè ferendum in Amplissimam Rempub. nostram scomma Sophistæ Rœstii est, quòd cap. 22. pseudojub. artic. 2. in majoribus numis Argentinensibus in memoriam Iubilæi cusis illam è Sacris inscriptionnem, *Omnis terra adoret eum*, ad Lutherum nos traxisse, Lojoliticâ malitiâ confingit.

Cæterùm ut *Beati* titulum Luthero non aliâ causâ Rœstius detrahit, quàm quòd more Papistico non fuerit in Divorum ordinem ascitus: ita quoq; *Iubilæo* nostro id nomē haud competere, alibi scribit, cùm nullas relaxationes & Indulgentias, ut apud Pontificios, adjunctas habuerit. Nimirum ut sues ex bruto suo gustu metiuntur omnia, quo fit, ut nec amaracinum ipsis, nec rosa suavis sit: ita quoq; Suitæ, cæteræq; curvæ Papistarum mentes ad curvam omnia Papalis idolomaniæ regulam exigunt, quæq; cum eâ non conveniunt, nec ad stomachum suum superstitione infectum faciunt, fastidiosè reiicere solent: in quos Terentianum illud bellè quadrat:

Homine imperito nihil quicquam injustius:
Qui, nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.

De talium sacri ordinis hominum, omnia ex suo phantastico cerebro æstimantium, stultitiâ, Andreas Alciatus Iurisconsultus Mediolanensis lib. 2. dispunct. cap. 22. verum esse scribit id, quod, cùm Romæ esset, saxeo illi Pasquino (hoc est, publicæ consentientisq; famæ testi, quam pro tam firmo Turrianus argumento habet, cui contradici non possit) affixum depræhendit: *Tandem*

Tandem maxime Pontifex galerum
Pasquino hoc tribuas tuo roganti.
Si sensu sine sum, rude atq; marmor:
Complures quoq; episcopos creari
Ipso me magè saxeos videmus.

Hi versus apud Iustum Gaillardum IC. Advocatum Curiæ Parisiensis, in methodo legendæ historiæ cap. 10. pag. 110. Gallici extant, quos apponam, si qui fortè magis eâ linguâ capiatur.

Pere qui soubz ta main tiens le rond de la terre,
Fay au pauvre Pasquil un present d' un chappeau:
Et bien que je ne sois qu' une maßive pierre,
On en voit s' approcher de la chaire sainct Pierre
Plus pierres, & qui ont moins que moy de cerveau.

Argumentis 13. 14. 15. & 16. omissis, ad 7. um idémq; ultimum Turrianus respondet ex psalmo 103. vers. 5. ubi dicitur, quòd Deus fundaverit terram super stabilitatem suam, id est, in seipso, nullo alio fundamento jacto, nisi nutu Dei eam librante in medio ac stabiliente. Sic igitur etiam domum Lauretanam fundamento caruisse: proindéq; ejus vestigia non esse requirenda.

Liberè dicam cum Homero: ὁ δὲ μαίνεται οὐκέτ' ἀνεκτῶς. Nam præter insanam & nimium quàm absurdam hujus dicti ad presens negotium applicationem, etiam grammaticum planéq; puerilem errorem errat, dum, quæ psalmographus de ipsius terræ stabilitate loquitur, ipse de stabilitate Dei accipit. Quod si verum esset, dicendum Davidi fuerat: *fundâsti terram super stabilitatem* TUAM, non SUAM. contrarius est primogenius textus sive Hebraicus, ex quo 70. transtulerunt: ὁ θεμελιῶν τὴν γῆν ἐπὶ τὴν ἀσφάλειαν αὐτῆς.

CAPUT X.

DE MIRACULIS PSEUDO-Mariæ Lauretanæ.

CUm maximè urgetur argumentorum pondere Turrianus, vix habet, imò ne vix quidem habet aliud effugium, quàm illud MIRACULORUM, quæ in Lauretanâ domo patrari dicuntur. Itaq; Vergerius hoc etiam vel unicum, vel præcipuum certè nutantis fabulæ fulcrum eversurus, primùm argumentatur in hunc modum.

Miracula vanis & suspectis asseverata testibus, ipsa quoq; vana & suspecta sunt.

Talia sunt, quæ in Lauretanâ domo dicuntur edi. E.

Minor probatur: quia tabellæ illæ votivæ, statuæ, imagines, vestes, naves, funes, anchoræ, arma, & alia, quæ peregrini afferunt, & in templo ob partam salutem affigunt, sæpè sine ullo pudore finguntur: imò sæpè ipsimet sacrificuli aut monachi, cùm de industriâ domi alant ejus rei artifices, solent collocare non modò in Lauretano templo, sed in aliis etiam multis, quæ sunt ejus generis tabellas, statuas, naves, arma, & subscribere, hoc in tali urbe contigisse, illud in aliâ: ut ista fingendo suis idolis autoritatem concilient, & superstitiosulorum loculos expurgent.

Hoc argumentum ad miracula ficta & ementita pertinet: sequens ad ea refertur, quæ nullâ humanâ interveniente fraude fiunt.

Miracula quæ diabolum autorem habent, divinitatis opinionem rebus conciliare non debent.

Talia sunt miracula Lauretana. Ergo, &c.

Minor probatur primùm expositione modi duplicis, quo

diabolica

diabolica miracula fiunt. Aut enim diabolus, qui in suis membris regnat & efficacissimus est, efficit, ut sui sibi planè persuadeant, se omninò vidisse apparitionem quam nunquã viderint: aut verba audivisse quæ nunquam audiverint: & se liberatos fuisse ab aliquo maximo belli, maris, incendii morbíve periculo, ope vel intercessione Virginis Mariæ: cùm tamen aliâs etiam sine miraculo essent evasuri.

Sed potest diabolus non modò suos ita fascinare, ut eos cogat sibi pro veris persuadere, quæ omninò falsa sunt: sed potest etiam (qui modus alter est) reverâ signa & miracula edere in suis, ad confirmationem suæ falsæ doctrinæ. Vt si Pontificius quidam idololatra in naufragii vel alio periculo constitutus, votum faciat alicujus idoli salutandi, tabellæ afferendæ, missatoris conducendi: diabolus, ut omnes eos errores constabiliat, suúmq; illud membrum dementet ac ludificet, edere potest miraculum, ac talem ex periculo liberare.

Altera probatio Minoris est ex dicto Christi, Matthæi 24. vers. 23. *surgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri possit, etjam electi.* Et D. Paulus in 2. ad Thessal. cap. 2. vers. 9. *Antichristi adventus est secundùm operationem Sathanæ, in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, his qui pereunt: eò quòd charitatem non receperunt, ut salvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, & judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed oblectati sunt iniquitate.* Item Apocal. cap. 13. vers. 13. *Bestia* (Antichristus) *facit signa magna, & seducit habitantes in terrâ propter signa quæ data sunt illi facere.*

Hæc Vergerius. Sed sesquiulysses noster subtiliter, ut solet, rem expedit, ac initiò respondet ad primum argumentum: intervenire quidem interdum alibi fraudes humanas: verùm in Lau-

in Lauretanâ secus esse. Nam ut in Actorum capite 4. vers. 16. seniores & scribæ de claudo illo, qui quadragesimo ætatis & claudicationis anno sanatus fuerat: *quid faciemus*, inquiunt, *hominibus istis? quoniã quidem notũ signũ factũ est per eos omnibus habitantibus Hierusalem: manifestum est, & non possumus negare:* sic etiam AEdis Lauretanæ miracula Italis & exteris esse manifesta, & negari non posse. Turriane, cras tibi credo: hodiè nihil. Nam etsi imperitæ plebi facilè possint impostores illi Lauretani illudere, quæ sine veri falsiq; discrimine trahi se patitur in omnem partem, atq; aures, ceu flabellum adducit diducitq;, & quicquid audit, probat: nemini tamen persuaseris, ut in objecto exemplo *Seniores & Scribæ* miraculorum Apostolicorum veritatem agnoverunt: sic Italorum quoq; sapientiores Lauretanam imposturam non animadvertere.

Ad alterum argumentum hæc respondet. I. ejectionem dæmonum, quæ in Lauretanâ domo fit, reliquorum etiam miraculorum ibidem factorum veritatem evincere: quippe quæ non nisi digito Dei peragi queat. Sed hoc responsum infirmum est causâ duplici. Primùm, quia Christus ipse Matthæi 7. vers. 22. in extremo die critico se quosdam repudiaturum profitetur, qui in nomine ejus dæmonia ejecerunt. Eiiciuntur enim interdum dæmones ipsis dæmonibus colludentibus, ut, cùm unius corporis reliquerint hospitium, multarum animarum inveniant, falsámq; religionem confirment. Vnde Lactantius lib. 5. Instit. cap. 23. *nec quidem*, inquit, *levis causa est, quòd immundi dæmonum spiritus, acceptâ licentiâ, multorum se corporibus immergunt, quibus postea rejectis, omnes, qui resanati fuerint, adhærent religioni, cujus potentiam senserunt.* Deinde quia tales dæmoniacos seu mali genii hospites ferè subornatos esse constat. Cujus rei exemplum insigne memorat Georgius Thomsonus in Vindice Veritatis pag. 92. ubi

Siche-

Sichemensis deæ ligneæ miracula examinat. Ita Vignerius in histor. Ecclesiast. pag. 496. scribit, quòd Iohannes de Vincentiâ, Monachus Ordinis Franciscani anno 1264. octodecim mortuos Ditis patris faucibus eripuisse, & reduxisse cis Stygē: præterea morbos omnis generis, ipsósq; dæmones pepulisse creditus sit: quæ fraus impostoris non priùs detecta, quàm viginti millia marcarum argenti inde ad Monasterium annui quæstus confluxissent. Quin periclitatus pro hæretico Guido Bonatus, quòd jam tum ab initio boni Fratris imposturam suspectam habuisset, ut ipse testatur in suo libro de Astrologiâ: donec tandem alii fabulam adeò lepidam improbâ curiositate turbârunt, & cornicum oculos confixerunt.

Altera Turriani responsio ad alteram Minoris probationem pertinet: Antichristi & pseudoprophetarum signa non esse futura vera, ut sunt illa Lauretanæ Divæ: sed ficta, fallacia, illusoria. Vnde Paulus dixerit: *adventum Christi futurum in signis & prodigijs mendacibus*. Respondeo, signa illa, *mendacia* ideò dici, non quòd ipsa in se semper mendacia & falsa sint: sed quia ad falsum & mendacium inducunt: quomodo Lauretana miracula ad idololatriam in animis hominū confirmandam unicè referuntur. Nam tametsi semper diabolus in illis ludit, illudit, fallit: non semper tamen ea falsa aut levia, sed sæpenumero & vera sunt, & ingentia, quæ exhibet. Cùm ergo Divina & Diabolica miracula, quoad externam speciem, sæpè conveniant, proindéq; non semper discerni facilè possint, eâ causâ constans orthodoxorum doctrina est, non è miraculis de doctrinâ, sed è doctrinâ de miraculis esse judicandum. Ipse quidem certè Servator noster doctrinam suam primùm demonstrabat ex Mose & Prophetis: pòst autem addebat signa, quæ verè divina esse, potissimùm ex eo patebat, quia doctrina, in cujus confirmationē edebantur, verè divina, & ex Mosaicis

Propheticisq; scriptis erat deducta. Et quia Patres libentiùs quàm Scripturam vel rationem audire te novi, audi, Turriane, Theophylactum id confirmantem, in comment. super cap. 9. Lucæ. *Multi sæpenumero miracula per dæmones fecerunt: at illorum prædicatio sana non fuit: quare nec miracula eorum ex Deo fuerunt.*

Cæterùm nisi temporis excluderer angustiâ, plura hoc loco de miraculis dicturus, ac inprimis illa Lauretana miracula, quæ Tursellinus in suâ pseudohistoriâ per *verba dare pondus idonea vento,* tradit, sigillatim examinaturus eram. Verùm qui & Chemnicii in Examine Concilii Tridentini, & Heilpronneri in Acatholico Papatu, & in ejusdē apologiâ Zeænmanni, aliorúmq; orthodoxorum traditam de miraculis doctrinam evolverit, nostram hanc operam non magnoperè requiret. Quos ad autores etiam ablego Rœstium Iesuitam, reperturum apud illos confutationem solidam tum istorum verè Rœstianorum, hoc est, rubiginosorum, jam dudum proculcatorum, protritorum, & propè pueris ἐυελέγκτων argumentorum, quæ capite 12. sui pseudojubilæi, de præcipuis Antichristianismi dogmatibus veluti per saturam coacervavit: tum etiam eorum, quæ capite 34. ejusdem sui famosi libri de miraculis habet, ubi, quod valdè ridiculum, neq; hîc prætereundum est, in Bavariam ad lustranda miracula nescio cujus Bennonis, blennus abire nos jubet. In Bavariam? Non ibimus in illam & nimis dissitam, &, ut ajunt, etiam inhospitam terram. Quin tu potiùs, mi Petre, habitâ pedum nostrorum & loculorum semiplenorum ratione, nos ablegas ad fanum S. Mariæ, quod est in vicinâ valle, Vulgò Mergenthal/vel Marienthal dictâ situm, prope urbem Imperialem, cui subest, Hagenoam, vix quarto à nobis lapide distantem, ubi ingētia planéq; stupenda Divæ miracula, locupletissimis asseverata testibus,

bus, ipsi coràm intueamur? Cùm enim ille locus vestræ tutelæ cessisse dicatur, debebatis istis præcipuè miraculis favere, eorúmq; famam omnibus modis, præsertim apud nos vicinos, propagare. An, ut ex Taciti sententia, *majestati*, sic vestrâ, miraculis *major ex longinquo reverentia, & omne ignotum pro magnifico est*: ideóq; ut tu nos in Bavariam, sic Bavari suos fortassis ad illam tuam Vallensem Divam ablegant? An verò hujus te Divæ quæ inter cæteras prisci sanguinis & patritii generis Virgo-Marias, recentior & ignobilior videri queat, adhæc quæ nuper edito Sodalitatis tuæ libro nō exiguam ignominiæ maculam contraxit, ita te pœnitet, piget, pudet, tædet, miseret, ut eam nominare non audeas? Sic est profectò: & spem Iesuitæ faciunt, pudoris, quem dudum decoxisse putabantur, miculam adhuc aliquam in ipsorum animis superesse. Rem audi, Lector, & ex hac vicinâ Iesuiticâ miraculorum officinâ, quid de remotioribus aliis, ad quas nos ire jubent, æstimandum sit, statue. Prodiit anno 1608. Moguntiæ, liber historiam miraculorum illius, quam dixi, Vallensis Mariæ complectens, de quo libro meritò Catullianum illud usurpes:

At vos interea venite in ignem
Pleni ruris & inficetiarum
Annales Volusi, cacata charta.

Est enim ita putidus, ut, quemadmodum

Nigri fornicis ebrij poëtæ
—— carbone rudi putriq; cretâ
Scribunt carmina, quæ legant cacantes:

sic ille non alium in finem scriptus aut emendus esse videatur. Miracula habet, qualia passim vulgò jactant sacrificuli: mercatorem liberatum è manu latronum, ac instar Lauretanæ Cameræ adusq; portam urbis suæ delatum: suspendiosum resti

fractâ ſolutum: pueros è regionibus Acherunticis ſuperas in auras retractos: imagunculam Divæ lacrymantem, ac templum ſpoliaturos vindicantem: naufragum prehenſis à Mariâ crinibus in terram ejectum: curatos morbos: averſa pericula: & ſimiles nænias alias. Hæc duplici teſtimoniorum genere firmantur: unum ſunt picturæ veteres & ἐξίτηλοι, in pariete templi deſcriptæ: quales agyrtæ ac ſeplaſiarii morborum à ſe curatorum teſtes circumferre ſolent: quæ picta miracula *diuturnitate temporis in præſcriptionem vel poſſeſſionem bonæ fidei veniſſe, nec aliis teſtibus indigere*, in poſteriori, de qua poſtea, editione Hagenoënſes Ieſuitæ ſcribunt: quaſi mendacium, longo temporis tractu deniq; Verum effici queat. Alterum, plebs ferè promiſcua, putà calcearii, veteramentarii, cerdones, aliiq; id genus proceres, cum fœminis vetuliſq; deliris: quorum omnium teſtium princeps, ſpectatæ fidei probitatiſq; nomine præ aliis commendatus, allegatur illius Divæ tricenarius æditu us, ac molitor, qui poſtea compertus infamis latro, imò latronum princeps, unâ cum filio ſuo, ab urbis Magiſtratu, quaſi in conſpectu ejuſdē fani (ſic enim ſitus eſt ſupplicii locus) in rotam, quæ membra diffregerat, ſublatus fuit. Nomen viro eſt (etſi tam infami nomine librum conſpurcare ſubvereor) Nicolao Bentz, quem, quid mirum eſt, Divæ miracula tantâ cum aſſeveratione, atq; etiam, ut Ieſuitæ referunt, execratione adjectâ confirmâſſe, cùm è re ipſius fuerit, plurimos illa ad fanum ſuum veſtigia inſiſtere,

Omnia ſe adverſum ſpectantia, pauca retrorſum.

Vidit enim utiq; latro plures ſanos, vegetos, robuſtos eò adventantes, qui aut vulnerati, aut ſpoliati inde receſſerūt, aut planè nunquam receſſerunt, cōjecti in ſtagnum proximum; quàm viderit illuc venientes ægros claudóſve, qui ſani diſceſſerint. Quæ cùm ita ſint, Ioannes Georgius Schenck à Grafenberg,

fenberg, Medicinæ Doctor, id temporis Hagenoënsium πο-λίταρος, dum à Iesuitis, ut opinor, persuaderi sibi passus est, ut nomen suum tali libro præponeret, & dum, ut est in proverbio, faber cùm sit, tractavit non-fabrilia; imò futilia, anilia, puerilia, Deus bone, quàm deliravit, suámq; famam prostituit! nisi quod hujus tamen infamiæ magnam partem in se derivavêre Iesuitæ, qui cùm ob latronis illius molitoris de suâ Divâ testimonium minùs commodè librum audire cernerēt, eum de novo Moguntiæ Anno 1615. excudentes, istum decli-naturi scopulum, impegerunt in alium; & ut antea latronum principis: ita hîc alio recenti testimonio, non minùs insigni, novum suum libellum novis miraculis, pro Catholicæ (si diis placet) Ecclesiæ auctoritate patratis, auctum exornârunt, uxoris scilicet Ioannis Fabri, procuratoris Hagenoënsis, quæ ipsa quoq; paulò pòst, eodem supplicii loco, quo fidelis ille testis molitor, ut convicta & confessa venefica, hoc est, patris mendacii mancipiū, igni cōbusta est. Quod combustæ Veneficæ testimonium, ejúsq; mariti, tanti fuit Iesuitis, ut illud non tantùm ut locupletissimum (Stattlich bezeugt / scribunt) commendent: sed etiam de suspensâ in fano tabulâ, qua hic Lauretanæ nostræ Divæ Litaniam suâ manu descripserat, glorientur. Non è longinquo mētior, quod Iesuitis est familiare: sed rem in viciniâ nostrâ, in oculis & conspectu penè nostro gestam, omnibúsq; notissimam testificor atq; confirmo. Macta Diva lignea tam illustri & LATRONIS & VENEFICAE præconio! macti Iesuitæ, qui dignum patellâ operculum invenistis!

Cæterùm utì pictæ tectorio linguæ nil non incrustare Iesuitæ solent, in posteriori editione satis quidem occupati sunt Hagenoënses illi patres in excusandâ allegatione testimonii latronis illius infamis, quod antea tanto cum elogio fuerat commendatum; nec id tamen omittunt planè: sed latronis

nomen, verùm omisso honorifico ejus elogio, duabus initialibus literis N. B. indicâsse satis habent. addunt etiam argumentum illud: *ut monetæ bonitati nihil decedit, si maximè ex* LATRONIS (nunc addant oportet, *&* VENEFICAE) *crumenâ depromatur: ita nec quicquam miraculi veritati detrahitur, si ex latronis* (& Veneficæ) *ore referatur.* Sed lavant AEthiopem. Non enim ita se habet testis ad faciendam fidem rei per testes probandæ, ut se habet possessor quilibet ad bonitatem & valorem dandũ monetæ: nec tam perspecta exploratáq; omnibus est rei ignotæ veritas, quàm nota ex solâ inspectione monetæ bonæ bonitas & valor. Quanto verò meliùs Euripides in Hec. *λόγος ἐκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν, κἀκ τῶν δοκούντων αὐτὸς, οὐ ταὐτὸν σθένει.* Vnde Lacedæmonii probam & honestam sententiam non siverunt dehonestari contagione auctoris turpissimi, ut A Gellius lib. 18. noct. Attic. cap. 3. & Plutarchus in lib. de auditu testantur. Quid? quòd aliâs ipsi quoq; Papistæ libros nostratium bonos sub suorum nominibus edere consueverunt. Cur ergo non hîc quoq; in iteratâ editione libri, testem pro latrone nominârunt alium? An fortè minus est, latronis nomen usurpare in re tanti momenti, quàm Lutherani alicujus in re qualicunq;? Quin & hoc mihi diligenter observa, cordate lector, quòd in eodem illo libro Iesuitæ, puerorum, testibus parietum picturis, in vitam revocatorum meminerunt: cui verò hominum memoriâ reddita vita sit, nullius meminerunt. Quid ergo? an abbreviata Divæ dextera est, ut renascentibus ex alvo terræ seu Tartari non possit ampliùs obstetricari? & cùm olim Divæ Divísq; tam in promptu fuerit, mortuos excitare, quàm canibus exta comedere, ita ut non singulos, sed quadragenos, quinquagenos, deniq; centenos, lethæis vinculis exemptos legamus cùm apud alios nugatores monachos, tũ præcipuè Antoninum Archiep. parte 3. histo-

historial. tit. 24. cap. 2. §. 11. (quem locum etiam Hagenoënſes Ieſuitæ non verentur allegare) quî fit ergo, quòd non item hodiè mortuorum excitandorum illa ſeſe virtus exerit in hâc Vallenſi Ieſuitarum Divâ? quam virtutem hoc inprimis tẽpore in immenſum auctam oportebat, cùm ab Hæreticis obſtrigillantibus undiq; circumſeſſa Diva ſit, contra quos non aliâ ratione faciliùs quàm hoc miraculi genere ſuum honorem vindicare poſſet. Certè impiam eam faciunt, qui reſuſcitandi mortuos poteſtate præditam dicunt, quæ tot vivos & valentes homines innocuos tot annis per æditũum ſuũ prope ipſam ædem contrucidari & mactari paſſa fuit. Sed nimirum fingendi opportunitas colórq; potiùs quàm voluntas fervórq; ſacrificulis deeſt hac tempeſtate, quâ renatis optimarum artium ſtudiis, detectíſq; inſipidiſſimis monachorum inſulſiſſimimorum nugis

Et pueri naſum Rhinocerotis habent,

ſúntq; curioſulorum Hæreticorum plena omnia, qui captatorum manus improbiùs obſervitant. Itaq; cùm hoc mortuorum excitandorum, tum cætera miracula non oſtentant Pontificii: odêre lucem: nôrunt, ea quæ in Cimmeriis iſtis Synagogæ Romanæ tenebris liberè fingunt, ſi hìc fierent, facilè detectum iri. Quâ causâ & Rœſtius nos in Bavariam, & alii Ieſuitæ in ipſam uſq; Iaponiam & Indiam ablegant, miracula viſum, quæ credere malumus quàm explorare. Ego verò tibi, Rœſti: HIC RHODUS, HIC SALTUS.

Atq; hæc de miraculis, quæ in viciniâ noſtrâ jactantur, quippe mihi notioribus & exploratioribus, quàm de Bavaricis illis, ac Indicis, itémq; Lauretanis, aliquanto proliχiùs diſſerere malui. Quanquam etiam de Lauretanis iſtis à Turſellino deſcriptis affecta habeo non pauca, quæ nunc dediſſem, niſi nundinis Francofurtanis fores pulſantibus à ſuſcepto ſcri-

ptionis

ptionis cursu revocatus fuissem: quæ tamen etiam vulgabo, si fortè castra in me Iesuitæ moverint. Nec enim pugnam detrecto.

Interim id unum hoc loco monuisse sufficiat, omnia illa à Tursellino recensita miracula (quanquam potiùs in stupendis Ancillæ pauperculæ divitiis explicandis, quàm enumerandis miraculis occupatus est) in universum triplicis generis esse. Primum genus eorum est, quæ possunt esse vera, sed non sunt miracula, nec quidquam in se habent vel prodigiosum, vel præternaturale. Si enim aliquis incolumis emersit ex aquis: si è gravi tempestate salva navis in portũ appulit: si quis gravi morbo supstes fuit: si mortuo similis respiravit, & quæ sunt hujus farinæ alia: in his omnibus quid, quæso, factũ est, cujusmodi non quotidiè innumera oculis nostris exhibeantur beneficentiæ divinæ exempla? aut quis non talia in semetipso expertus est à bonitate clementis patris, qui Solem lucere vult omnibus, & uberrimum benignitatis suæ fontem fluere patitur bonis juxtà & malis: cui potiùs quàm votis illis ad Lauretanam factis talia sunt adscribenda: de cujusmodi votis scitè Dionysius dixit: *ab ijs oblata donaria in templis deorum conspici, qui enatâssent: submersorum verò vota, unà cum ipsis, fluctibus obruta jacere.* Vt enim ægrorum multi, juxta illud Ausonii, *evasêre fati ope, non medici*: & tamen tulit alter honores: sic in istis νομιζομένοις miraculis, qui Lauretanæ Mariæ salutandæ voto se obstringentes rem optatam consequuntur, etsi nihilominus eam consecuturi erant, si vel maximè Divam insalutatam reliquissent: Divæ tamen & ejus intercessioni transcribunt omnia, &, ut Logici dicunt, non causæ, ut causæ, fallaciâ falluntur.

Ad hoc primum genus pleraq; miraculorum Tursellini pertinere comperiet, qui autorem non vitiato superstitione judicio

judicio pellegerit. Et ut clariùs appareat, quàm autor ille omnia, etiam maximè naturalia, trahat in miraculum, legatur ejus lib. 1. fab. Laur. cap. 10. ubi de admirabili ædis Lauretanæ situ: *situs*, inquit, *ipse sacrosanctam illam sedem non humanâ, sed divinâ prorsus arte manúq; locatam facilè declarat, &c. Namq; anterior paries, ubi fenestra visitur, Angeli salutantis ingressu (ut ferunt,* & si credere fas est) *nobilis, ad occidentem Solem vergit: posterior, ubi ara est ante B. Mariæ simulacrum posita, vernum fermè orientem spectat, adeò quidem directò, ut per utrumq; æquinoctium Sol oriens posteriorem, occidens anteriorem aspi tat partem, &c. Sacrosanctam quippe domum duo præcipua mysteria, ortus B. Virginis, & æterni Verbi conceptus insignem fecêre: quorum ille ferè in autumnale, hic in vernum incidit æquinoctium. Igitur haud immeritò eam Sol per utrumq; æquinoctium lustrat, sic prorsus, ut vel illorum mysteriorum memor, & sub ortum, & ante occasum, Deiparam Virginem penè ambitiosè adire, & quodammodo salutare videatur.* Hæc Turfellini verba conferantur cum istis Ruffini lib. 2. hist. Eccles. cap. 23. ac dubitari non poterit ampliùs, Ethnicos simul atq; Papistas, eandem fallendi artem, eâdem in scholâ, eodem docente magistro didicisse. *In templo Serapidis*, inquit, *apud Alexandriam, tum alia quædam ad stuporem admirationémq; videntium, dolis & arte composita fuerunt: tum fenestra perexigua ab ortu Solis ita fuit aptata, ut eâ die, qua fuerat institutum, simulachrum Solis ad salutandum introferri, diligenter temporibus observatis, ingrediente simulachro, radius Solis per eandem fenestram directus, os & labra Serapidis illustraret: ita ut inspectante populo, osculo salutatus Serapis videretur à Sole.* Hæc ibi Ruffinus, & addit, alia multa decipiendi causâ à veteribus ita fuisse constructa: *quæ quum proderentur in lucem, mirabantur sanè Ethnici, se tot sæculis, istis tam nefarijs ac pudēdis fraudibus irretitos fuisse.* Quo magis est mirandum, imò dolen-

dum, in tantâ Evangelii luce, miseros mortales, dolos & fraudes istas Ethnico-papisticas ad liquidum perductas animadvertere nolle. Ea vis superstitionis est, alios in inveteratis erroribꝰ firmiter, tanquam in ineluctabili profundóq; luto detinentis: alios ex clarissimâ veritatis luce ad densissimas falsitatis tenebras violenter abripientis.

Alterum Lauretanorum miraculorum genus magna & mira complectitur, sed non vera. Cujusmodi cùm alia plura sunt in Tursellino, quæ producam à Iesuitis monitus: tum præcipuè insigne aliquod lib. 2. fab. Laur. cap. 18. nescio ridendúmne magis an admirandum. Mihi quidem certè legenti utrumq; excussit, bis térq; cùm effuso cachinno stupenti. Vide lector, mecúmq; ride, nisi ἀναίσθητος es.

Tertium deniq; genus eorum est, quæ sensibus nostris offeruntur, nec, ut superiora, ab hominibus conficta, sed à malis & impuris Geniis exhibita sæpè reperiuntur, ut plurimum quidem præstigiis & ludibriis: non tamen nunquam etiam re & facto. Nam quid est horum, quod non à malo Genio vel assimilari, vel etiam confici facilè potuerit? Tantæne molis opus, ab energumenis sive obsessis abscedere quasi coactũ, in quos ob idipsum sese insinuârit? lapidum calcísve particulas ex sacrâ cellâ auferentium temeritatem vindicare? cæcitatem, debilitatem vel insaniam temporariam immittere, quã mox sanare videatur? Talia enim à Tursellino passim commemorantur. At his multò majora & mirabiliora edere μυριοτεχνίτης ille potest.

Cæterùm ut appareat, & miracula, & alia, quæ de Lauretano idolo prædicantur, ipsi cum Ethnicorum deastris esse cõmunia, vicem coronidis, annectere libet insignem Ciceronis ex Act. in Verrem 4. locum, in quo jurares audire te Tursellinum de Idolo Lauretano declamantem: nisi quòd Cicero

pro

pro Lauretano Idolo, Idolum Ennense substituit. *Mira quædam*, inquit, *totâ Siciliâ privatim ac publicè Religio est Cereris Ennensis. Etenim multa sæpè* PRODIGIA *vim ejus numénq; declarant: multis sæpè in difficilimis rebus præsens auxilium ejus oblatum est: ut hæc insula ab eâ non solùm diligi, sed & incoli custodiríq; videatur.* Et mox: *tum ex amplissimo Collegio x. virali Sacerdotes populi Romani, cùm esset in urbe nostrâ Cereris pulcerrimum & magnificentissimum templum, tamen usq; Ennam profecti sunt. Tanta enim erat auctoritas &* VETUSTAS *illius religionis, ut, cùm illuc irent, non ad ædem Cereris, sed ad ipsam Cererem proficisci viderentur.* Vbi quod de Ennensis Idoli vetustate Cicero, idem de Lauretani Tursellinus in præfat. *Aliarum B. Virginis ædium*, inquit, *celebritatem cultúmq;, cùm aliquamdiu viguerit, paulatim deflorescere videmus: Lauretanæ verò majestatem quòd altissimis sit defixa radicibus, cernimus per* TOT *jam* SAECULA, *auctiorem indies fieri augustiorémq;.* Nec verò dispar cultus simulacro Herculis exhibitus est, quo se quicquam pulchrius vidisse, negat in eâdem oratione Cicero, *usq; eò quidem, ut rictus ejus ac mentum paulo fuerit attritius: quòd in precibus & gratulationibus non solùm id venerari, verùm etiam osculari solerent.* Haud secus ac Idolum etiam Lauretanum crebris salutantium osculis attritum ac mucidum factum, testis est alicubi Tursellinus.

CAPVT XI.

Argumentum Vergerij postremum.

O Factum benè, quòd aliquando tandem ex hoc fabuloso pelago eluctanti spectare terram, ac propè portum attingere licet! Quæ enim nausea mare primũ ingressos occupare solet, ea me per totum hunc navigii cursum prosecuta est: cujus finem dũ prospicio, quid ni ex animo læter?

Quod militiæ doctores monent, ad victoriam plurimùm conferre, si & in primam aciem lectissimi quiq; milites subducantur, & agmen quoq; triarii claudant: id à Vergerio diligenter hîc observatum videmus. Nam quod postremo nunc loco proponit argumentum, firmitate suâ certitudinéq; primis illis haud cedit. Id sic habet.

Quæcunq; narratio ab auctoribus partim rei narratæ συγχρόνοις, partim aliquantò posterioribus quidem, sed tamen superstitiosissimus & miraculosa quæq; magno studio conquirere ac describere solitis, omissa tamen est, à non nemine etiam expressè negata, ea nihil verisimilitudinis habet.

Talis est hæc de Lauretanâ domo narratio. Ergo, &c.

Minorem Vergerius autorum inductione demonstrat admodum prolixè, ex quibus præcipua, & ad rem maximè pertinentia excerpemus.

Ex autorum primâ classe, eorum scilicet, qui vixerunt sub tempus translati miraculosè cubiculi, nimirum anno 1296. primus est DANTES Aligerius, natus Anno 1260. mortuus 1321. Secundus, Franciscus PETRARCHA, Dantis discipulus, natus anno 1304. mortuus 1374. Tertius, Ioannes BOCCATIUS, natus Anno 1314. mortuus 1372. Hi omnes fuerunt Itali & Florentini, maximâ laude maximâq; autoritate viri: quippe ob excellentem doctrinam, principibus aliísq; præclaris viris charissimi, cùm quibus assiduè versabantur in celebrioribus Italiæ civitatibus, modò Romæ, modò Neapoli, Bononiæ, Ravennæ, Venetiis, Patavii, Veronæ, Mediolani. Hi plurima scripserunt versu & prosâ, Italicâ linguâ, in qua sine controversiâ principes erant: atq; etiam Latinâ, in qua tamen non usq; adeò fœlices extiterunt. At in tam multis eorum scriptis varii generis, nunquam indicium dederunt, ad eorum aures pervenisse, quòd in vicinâ Marchiâ Anconitanâ

tanâ (Nam ea vix bidui aut ad summum tridui itinere Româ Florentiâq; distat) illa prodigiosa contigerint: visos scilicet Angelos ingentem quandam murorum molem per sublimem aëra bajulantes: missos in Orientem Legatos sedecim, quæsitum vestigia translatæ domûs: factos populi modò in sylvam, modò ad montem, modò Recanatum, Lauretúmq; concursus: deniq; plures gravissimis morbis atq; periculis apud imagunculam quandam liberatos. Quarum certe rerum omnium maximè memorabilium, minimè sibi temperare tres illi summi viri potuissent, quin alicubi suis in scriptis mẽtionem disertam facerent, si modò audivissent, eas ætate suâ contigisse. Imò credibile est, eos non modò versu & prosâ facturos fuisse earum mentionem, illiúsq; sæculi miracula celebraturos: sed se continere etiam non potuisse, quo minùs ipsimet, quum non ita longè abessent, eò accurrerent, & suis ipsimet oculis, quæ audissent ab aliis, intuentes admirarentur: & si eò venissent, proculdubio aliquot versus voluissent illic concinnare, ut solent poëtæ, qui tales occasiones non deserunt: qui versus postea ad nos unâ cum aliis eorum tam multis pervenissent: ac Laureti quoq; ostentarentur etiamnum, ut accidit carmini votivo Mureti, cujus carminis initium suprà pag. 56. retuli: itémq; Lævini Torrentii Episcopi Antverpiensis, quod etiam extat inter ejus poëmata sacra, pag. 88.

Altera classis autorum eorum est, qui aliquantò post illa tempora floruerunt: quorum primus est ANTONINUS Archiepiscopus Florentinus, quem Tritthemius in scriptor. Eccles. tradit obiisse Anno Domini 1459. Fuit Ordinis Dominicani Monachus, superstitiosissimus omnium qui unquã fuerunt in illâ superstitiosissimâ Sectâ, aut quavis aliâ, sed itidem diligentissimus scriptor. Inter alia verò scripsit historiam seu Chronicon laboriosissimum, in tres partes divisum,

ab Adamo usq; ad sua tempora. Majore verò diligentiâ quàm reliqua omnia, describenda suscepisse videtur ea, quæ ad religionem pertinebant, & ducentis circiter annis ante se contigerant. Itaq; incipiens ab anno 1200. in titulo 23. & 24. & à suo Dominico, longâ serie describit ea, quæ illi Monacho acciderunt, & simul miracula, quæ vivus ac mortuus edidit, ejus quoq; canonizationem. Deinde aggreditur Thomam de Aquino, Vincentium & Iordanum Monachos, quos item appellat Sanctos, affirmátq;, multa miracula, tum vivos, tum mortuos edidisse. Mox ingreditur ad explicandas res gestas Francisci Ascissiani, plenóq; ore buccinat de quinq; ejus stigmatis: nec pauca recitat de sanctis ejus subligaculis, quæ sæpè solerent fœdari eo sanguine qui ex latere profluebat. Postea annectit stigmata Catharinæ Senensis: vitam Antonii Hispani, itidem Monachi, quem de Padua vocant, illius qui solitus erat piscibus (ha, ha, he,) prædicare, sicut Franciscus aviculis. Deniq; vitam Bernardini Senensis, & Claræ, & cujusdam Brigidæ, ejúsq; revelationes persequitur. In summâ, bonus ille Antoninus nihil prætermittit, quod non scripserit summâ diligentiâ, ex his quæ ipse potuit scire centum illis aut ducentis annis ante se contigisse. Cùm autem summè & superstitiosus & laboriosus hicce monachus in totâ suâ historiâ nullum unquam verbum attigerit, de Nazarethicâ illâ Camerâ, ejúsq; bajulis Angelis: certissimum hoc argumentum est, eum nullam unquam papyrum vidisse, in quâ aliquid hujusmodi fuerit scriptum: ac ne audivisse quidem tantâ de re ullũ unquam verbum. Quid enim? qui de Stigmatibus & Subligaculis Francisci, ac de nescio quibus mulierculis, Catharinâ, Clarâ, Brigidâ, tam anxiè locutus est, si quid inaudivisset de hoc stupendissimo, & nunquam antea ullâ ætate viso miraculo, nempe quòd Angeli detulerint per aëra quendam veluti

montem

montem lapidum: si suo tempore vidisset, populos cæpisse jam ad illam Ecclesiam peregrinationes instituere, putásne hoc illum in suâ historiâ prætermissurum fuisse?

Secundus autor, VINCENTIUS, ejusdem Ordinis Dominicani Monachus Hispanus est, qui, quod me Trithemius in catalogo Scriptor. Eccles. docet, Anno 1418. Concilio Constantiensi interfuit, ac obiit Anno 1455. per Calixtum III. Papam in Divorum numerum cooptatus. Vnde testimonium ejus omni exceptione majus Papistis est, esse certè debet. Atqui is Lauretanæ fabulæ contradicit etiam, tantum abest ut patrocinetur. Cùm enim scripserit aliquot sermones de Sanctis, qui in Hispaniâ, in Galliâ, & in Italiâ impressi, magno in honore pretióq; à Pontificiis habentur: in eo sermone, qui est de Assumptione Virginis, non solùm vituperat, quas Pontificii alii tantoperè laudant, & meritorias appellant, ad loca sacra peregrinationes: sed etiam illam Cameram, in qua filius Dei nostram carnem primùm induit, NAZARETI, non LAURETI quærendam disertè scribit. Ipsa recitabo verba, ut, qui nos Hæreticos atq; Lutheranos audire nolunt, saltem audiant suum Sanctum. *Homines*, inquit, *& mulieres peregrinando frangunt sibi collum, & efficiuntur pejores: quia aliquando vadunt castæ, & redeunt meretrices. Ideo spiritualiter fiat peregrinatio. Sicut dicit Paulus: spiritu vivimus, spiritu ambulemus. Hodiè & quolibet die potestis ire in* NAZARET *ad cameram, ubi filius Dei fuit incarnatus: & sic de aliis locis.*

Ex hisce posterioribus duobus autoribus simul & illud clarissimè patescit, Cameræ Nazarethicæ translationem nondum anno 1296. quem sacrificuli Lauretani prodiderunt, sed ne quidem adhuc integro pòst seculo increbuisse: adeóq; fabulæ hujus incunabula non esse tam antiqua, quàm nobis persuadere volunt ij, qui modicæ vetustatis obtentu veram anti-

antiquitatem oppugnant, & monachorum non ita pridem exorta somnia deliramentáq; pro genuinâ antiquitate supponunt, meram, si ad Christi Apostolorúmq; & multa exinde sæcula conferas, novitatem, meras fæces. Sanè Turrianus noster, vim ac pondus hujus argumenti persentiscens, μηδὲ γρῦ φθέγγεται: tantùm de primæ classis autoribus, Dante, Petrarchâ, Boccatio, frigidam & jejunam hanc responsionem adfert: non permisisse Deum, ut homines isti de domo sanctâ, & de mirabili ejus per ministerium angelorum transportatione, miraculísq; meminissent, ne tale mysterium inter sua poëmatia, & fabulas, & amatorias cantilenas, lasciviásq; sermonũ & narrationum referendo, profanarent. Quid ergo? nemóne poëta, nisi idem & profanus, & fabulator, esse potest? An illi triumviri, poëtæ tantùm fuêre? tantùm amatoria, lasciva, fabulosa scripserunt?

Ac Dantes quidem plurimis carminibus Italicis de Paradiso, de Purgatorio, de Inferno scripsit, quæ sanè theologicæ, non amatoriæ sunt materiæ, quibus opportunè potuisset aliquid inserere de Angelis, qui, cùm alioqui sint invisibiles, tunc tamen visi fuerint Ecclesiam per tam longa itinera terrestria maritimáq; bajulantes.

Petrarcha verò etsi poëta, simul tamen fuit Archidiaconus Parmæ, deinde Canonicus Patavinus: imò Cardinalis etiam erat creandus à Benedicto XII. Papâ, si modò sororem elegantissimâ formâ adolescentulam, quam ille Antichristus deperibat, ab eo constuprari passus esset. sed ille sibi non opus esse tam fœdo galero dixit. Ghirardus tamen ejus frater avaritiâ & ambitione impulsus, sororem Benedicto stuprandam adduxit: sed cùm sceleratissimo lenocinio se non posse id cõsequi videret, quod speraverat, desperatione adductus, non quidem suspendit se, ut Iudas: sed non longè abfuit à tali infamiâ.

Nam

Nam repentè factus est monachus Carthusianus, quod genus hominum propè infame est apud omnes bonos viros (ut & reliqui monachi) & seipsos conficiunt, si non statim laqueo, tamen paulatim superstitiosâ quadam & perpetuâ carnium abstinentiâ, solitudine, melancholiâ. Testem hujus rei habeo Hieronymum Squarzafichum in vitâ Petrarchæ, quam scripsit ad Petrum Contarenum, Patritium Venetum. Neq; verò rhythmos tantùm amatorios Italicos scripsit Petrarcha: sed etiam genus carminis, quod Capitula appellant, in quibus descripsit triumphos amoris, castitatis, mortis, famæ, temporis, atq; etiam divinitatis. An non sunt hæ materiæ graves, & admodum opportunæ, in quibus admiscere potuisset quantum velis gravem articulum? Idem præter Italica poëmata, Latinè multò plura scripsit, colloquia, tractatus, epistolas, invectivas, itineraria : multa quoq; ad religionem pertinentia : adeò ut quispiam Solipodius, monachus Dominicanus, qui Inquisitorem agebat, cæperit illum vehementer vexare. Nam hæreseωs accusabat, ut solent isti sycophantæ atq; rudes asini, qui lucem literarum ferre non possunt, & optimos ac doctissimos quosq; insectantur. Sed cùm Petrarcha multorum magnorum virorum præsidio tegeretur, horum depulsus authoritate Monachus, ab accusatione destitit. Non modò igitur in amoribus ille poëta versatus est, sed gravibus etiam in rebus, ubi non potes dicere, occasionem illi defuisse, qua etjam de tuis Angelis, & de tuâ Lauretanâ camerâ mentionem fecisset, pluribúsq; verbis disseruisset etiam, si quid de eâ unquam inaudivisset. Quid, quod idem Petrarcha scripsit itinerarium, in quo monet quempiam Mediolanensem amicum suum, qui visendæ Palæstinæ causâ sacram peregrinationem erat suscepturus, quænam loca illi forent invisenda : & nominat præsepe, quod nascentem Christum exceperat, ejus-

démq; ſepulchrum, & omnia reliqua, quæ ſuperiùs dixi ab Hieronymo in epiſtolâ 27. ad Euſtochium perſcripta fuiſſe. At hîc quidem peropportuna fuiſſet occaſio, qua de vagabũdis illis Angelis, & de camera, quam circumtulerant, potuit meminiſſe. Monuiſſet ſaltem, ne ſuus ille amicus cameram, in qua Chriſtus erat enutritus, in Iudæâ fruſtrà quæreret: quãdoquidem ea eſſet in Italiam aſportata: luſtraret tamen fundamenta, quæ ibi reliquerunt Angeli, forſitan quia preſſi fuiſſent nimio pondere, ſi etiam fundamenta unâ cum reliquo ædificio ferre voluiſſent. Sed adhuc aliud audi, Turriane, de Petrarcha. Scripſit librum benè longum, cui titulus, *de rebus memorandis*, in cujus ſex poſtremis capitibus narrat prodigia quædam, & alia memorabilia, quæ ipſius tempore contigerant Brixiæ, in agro Veronenſi, Florentino, Patavino, Venetiis & Mediolani: auditos fuiſſe quoſdam ſtrepitus in cœlo ſine ullo fulgure aut nubibus: natam novem pedum equam: equum verò humano capite: puerum bicorporem: hominẽ fuiſſe, qui per 40. dies ſine cibo vixerit: deniq; viperam repertam in galeâ Azonis Vicecomitis Mediolanenſis. Atqui hîc rurſum commodiſſimus erat locus, ubi ſi non pluribus, ſaltẽ uno verbo meminiſſet de iiſdem Angelis, qui bajuli & nautæ facti erant. Equidem hoc erat ſcriptione & memoriâ dignũ, ac majoris proculdubio momenti, quàm ea quæ nunc recitavi.

Quod ad Boccatium deniq; attinet, is præter Italica ſcripſit librum ingentem de Genealogiâ deorum. Eſto, nulla hîc fuerit occaſio, qua commodè potuiſſet Angelorum, qui ponderoſiſſimos illos muros humeris geſtaverint, meminiſſe. Sed quum alium librum ſcripſerit, *de montibus, ſylvis, maribus & fluminibus*, hîc erat optima occaſio, videlicet ubi de monte Anconæ, vel de Adriatico mari, vel de fluvio Moſono, qui

propè

propè Lauretum est, ei scribendum fuit: quomodo monachus ille Dominicanus, cujus suprà pag. 55. meminimus, Leander Alberti, in Italiæ descriptione, fluvii hujus occasione ad Idoli Lauretani descriptionem est delapsus. Idem Boccatius librum fecit *de fœminis illustribus*, inter quas (ut hoc transeundo moneam) Ioannam quoq; Papissam commemorat, quæ temporibus illis religiosissimis & Romanocatholicissimis absq; scrupulo credita, hodiè vindices pervicaciores nacta Iesuitas, fuisse jam desiit. An non verò & in hoc libro mentionem Lauretæ, si qua fuit, inserere potuisset, ejúsq; pietatem deprædicare, quòd advolanti ad se Nazarethicæ domui hospitalitios lares aperuisset? Nam ab hac Laureta Recinetensi fœminâ, nomen ædi Lauretanæ inditum, Tursellinus ait lib. 1. fab. Laur. cap. 6. quam tamen Andreas Scotus in Italiæ itinerario pag. 135. a. & alii à laureto seu sylvâ laurifera, quæ Recanatum inter & mare fuit, denominatam scribunt. Ita nuspiam sibi consentit mendacium: verum vero semper simile est.

Porrò ut neq; laudando, nec nudè commemorando: ita ne vituperando quidem uspiam ædis Lauretanæ meminerũt hi triumviri: quod ipsum argumento est, hanc fabulam ipsorum ætate prorsus inauditam fuisse. Omnes enim hi tres eo fuerunt ingenio, ut semper quæsierint occasionem irridendi & traducendi ineptias ac idolomanias Regni Pontificii. Lubet id paucis ostendere: quæ si non omnia propriè pertinent ad hoc argumentum; tamen ad superius caput octavum, ubi de moribus rasorum unctorúmq;, ac totius Curiæ Romanæ, vice supplementi referri poterunt.

Ac initio *Dantes* magnâ ex parte agnovit eam ipsam veritatem, quam nos profitemur: & nidum Papæ Romam unâ nobiscum putavit Babylonem ipsissimam esse, cujus in Apocalypsi meminit Evangelista. Nec id modò sensit, sed disser-

tissimè Imperium ab Eccesia non pendére, quin omnibus Ecclesiis Imperatorem præesse, etiam Romanæ, statuit : quod dogma Marsilius Patavinus, eodem tempore, in eo libro, cui titulus, *Defensor pacis*, diligentissimè confirmat. Neq; hoc Dantes affirmavit obiter, sed edito libro, cui titulum fecit, *Monarchia*, cujus meminit Bartolus in L. Divi. §. præsides ff. de requiren. reis, ubi addit, Dantem ipsum propter eum librum fuisse post mortem pro hæretico condemnatū. Quin etiam Archiepiscopus Mediolanensis Arcimboldus in catalogo hæreticorum ejusdem libri meminit, & prohibet, ne quis eum legat.

Deinde verò *Petrarcham* non minùs ac Dantem imposturas, mendacia, perversitatem Papatûs intellexisse, hæc librorum ejus excerpta palàm faciunt. In Italicis suis rhythmis de Româ sic inter alia:

Scola d' errori, templo di eresia,
Già Roma, or Babilonia falsa e ria. h. e.

Schola errorum, templum hæresewn: quondam Roma, nunc Babylon falsa & mala. Sic & sæpè aliâs in eodem poëmate eam vocat Babylonem : item matrem errorum, & nidum proditionum. Dicit eam crescere ex alienis calamitatibus: extollere se contra suos fundatores Imperatores, quorum opibus creverat. Atq; adeò, quòd planè senserit, Papam esse Antichristū, cùm alia plura, tū illud quoq; dictū ejus vehementer cōfirmat, *nullum cuiquam majus malum optari posse, quàm ut fiat Papa.* Idem nimirum sensit cum Pasquino Romano, cujus carmen suprà pag. 72. retulimus. Et quia Satyricus Argentoratensis Pyriopolæ Molsheimensi displicet, audiat oportet Italicum hunc Satyricum multò graviora, sed non minùs vera detonantem, quæ communicet etiam cum suo Rœstio, & conferre jubeat, cū cap. 12. sui pseudojubil. artic. 9. & 12. Sic autē

Petrar-

Petrarcha in epiſtolâ 4. earum quæ ſine titulo ſunt, ad quendam amicum ſcribit: *Nunc me Gallicus orbis habet, & occidentalis Babylon* (Avinione Papæ Curia tunc erat) *qua nihil informius Sol videt, & ferox Rhodanus æſtuanti Cocyto vel tartareo ſimillimus Acheronti, ubi piſcatorum inops quondam regnat hæreditas, mirum in modum oblita principij. Stupor eſt, memorare illos: hos cernere auro onuſtos & purpurâ, ſuperbos principum ac gentiũ ſpolijs: videre pro inverſis ratibus luxurioſa palatia, & mænibus clauſos montes: pro retibus parvis, quibus olim in æſtu Galilæo victus vix exiguus quærebatur, quibus in ſtagno Genezareth totâ nocte laborantes, nihil ceperant, manè autem facto, capta eſt in nomine Ieſu ingens multitudo piſcium, audire nunc mendaces linguas: ſpectare membranas Vero vacuas, & pendenti plumbulo verſas in retia quibus in nomine eodem, ſed in operibus Belial, credula Chriſtianorum turba cõcluditur, ut mox ſquamis exuta, curarum flammis & deſolatoriis carbonibus exuratur, avari ventris expletura voraginem: cernere pro ſanctâ ſolitudine frequentiam ſceleratam, & circumfuſas acies ſatellitum peſſimorum: pro ſobrijs voluptuoſa convivia, pro peregrinationibus piis ocium inhumanum & obſcænum: pro nudis pedibus Apoſtolorum, niveos furum volitare cornipedes auro inſtratos, auro tectos, aurum mandentes, auro deniq; propediem, niſi dominus ſervilem luxum coërceat, calciandos. Quid multa? Perſarum aut Parthorum Reges dicas, quos adorari oporteat, quos ſalutari, ſine munere nephas ſit, &c.* Idem in epiſt. 12. de Curiâ Papæ: *nulla ibi pietas, nulla charitas, nulla fides, nulla Dei reverentia, &c: Omnia ibi virtute veróq; ſunt vacua, plena criminibus, plena fallacijs, plena peſſimis artibus: fictè & inaniter omnia fiunt non tantùm hominibus, ſed Deo, &c: Inde nemo unquam exemplo melior factus, peſſimi autem innumerabiles rediêre.* Epiſt. 15. totâ calamitatẽ urbis Romæ deplorãs, inter alia: *Vides populum*, inquit, *non modò Christi adverſarium, ſed, quod eſt gra-*

vius, sub Christi vexillo rebellantem Christo, militantem Sathanæ, & Christi sanguine tumidum atq; lascivientem: populum cui non modò propriè convenire dixeris Evangelicum illud atq; propheticum: Populus hic me labijs honorat, cor autem eorum longè est à me: sed illud etiam Iudæ Ischariotis, qui Dominum suum prodens & exosculans ajebat, Ave Rabbi: & Iudæorum, qui indutum purpurâ, coronatum spinis, percutientes & conspuentes illusione amarissimâ, flexis poplitibus adorabant & salutabant: Ave Rex Iudæorũ. Quid enim? quid oro aliud assiduè geritur hos inter Christi hostes, & nostri temporis Pharisæos? Nonne etenim Christum ipsum, cuius nomen die ac nocte altissimis laudibus attollunt, quem purpurâ atq; auro vestiunt, quem gemmis onerant, quem salutant & adorant cernui, eundem in terrâ emunt, vendunt, nundinantur eundem quasi velatis oculis non visurum, & impiarum opum vepribus coronant, & impurissimi oris sputis inquinant, & vipereis sibilis insectantur, & venenatorum actuum cuspide feriunt, & quantum in eis est, illusum, nudum, inopem, flagellatum, iterum atq; iterum in Calvariam trahunt, ac nefarijs assensibus cruci rursus affigunt. Et ô pudor, ô dolor, ô indignitas! talium hodie Roma est. Epistolam verò 16. qui legerit, dubitare ampliùs non poterit, quin Petrarcha Papam statuerit ipsissimum Antichristum. Aliqua ex eâ huc referam. *Futuræ ibi* (in aula Papæ) *vitæ spes, inanis quædam fabula, & quæ de inferis narrantur, fabulosa omnia habentur. Veritas ibi dementia est, abstinentia verò rusticitas, pudicitiæ probrũ ingens: deniq; peccandi licentia magnanimitas & libertas eximia: quò pollutior, eò clarior vita: quò plus scelerum, eò plus gloriæ: bonum nomen cœno vilius, atq; ultima mercium fama est.* Et infrà: *Famosa dicam an infamis meretrix fornicata cum Regibus terræ, illa equidem ipsa es, quam in spiritu sacer vidit Evangelista. Illa eadem inquam es, non alia, sedens super aquas multas, sive ad littora tribus cincta fluminibus, sive rerum atq; divitiarũ turbâ mortalium,*

talium, quibus lasciviens ac secura insides, opum immemor æternarum: sive ut idem, qui vidit exposuit, populi, & gentes, & linguæ, aquæ sunt super quas meretrix sedes. recognosce habitum. Mulier circundata purpurâ & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu suâ plenum abominatione & immunditiâ fornicationis ejus. Noscis ne Babylon? nisi illud forsan errorem facit, quòd in illius fronte scriptum erat, Babylon magna: tu verò Babylon parva es: parva utiq. murorum ambitu, sed vitiis & ambitu animorum, & infinitâ cupidine cumulóq. malorum omnium non magna modò, sed maxima, sed immensa es. Et certè quod sequitur, tibi uni convenit, non alij: Babylon mater fornicationum & abominationum terræ, mater impia partuũ pessimorum: quando, quicquid usquam terrarum abominabile, quicquid fornicatorium, ex te prodit: & cùm semper parias, semper tumens, ac talium plenus & gravidus tuus uterus est. Si nunc quoq. dissimulas, audi reliqua. Et vidi (inquit) mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Iesu. Quid siles? Aut aliam hoc sanguine ebriam ostende: aut omninò, si potes, te hanc ebriam nega. Vera enim Evangelistæ & Apostoli visio sit oportet: qui si te in spiritu videns miratus est admiratione magnâ, quantâ nos admiratione perfundimur, qui apertè oculis te videmus? Ex omnibus quidem fornicationibus tuis, de quibus biberunt omnes gentes & Reges terræ, & ex omnibus abominationibus quid expectes, nisi quòd Ioannes idem ait: Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum? Verè iam talis facta es. Quanto enim homo perditus & desperatæ nequitiæ dæmone melior? Verè habitatio, imò regnum dæmonum facta es, qui suis artibus, humanâ licet effigie, in te regnant. Idem epist. seq. *Illos tenebrarum principes cum suis opibus Deus vivos ac mortuos malè perdat, qui cœlestis agni sanguine saginati calcitrant ac rebellant. Cur Babylone (*apud Papam*) vivere eligam? ut videam*

bonos

bonos mergi: malos erigi? reptare aquilas: asinos volare? vulpes in curribus: corvos in turribus: columbas in sterquilinio? liberos lupos: agnos in vinculis: Christum deniq; exulem: ANTICHRISTUM *Dominum: Beelzebub judicem? Hæc ad spectacula revocor. non audiam. malè mihi cum illis, malè illis mecum convenit. O crudelis & impia secta hominum, nil nisi seipsos amantium, idq; ipsum perversè prorsus ac nefariè! Quis relevabit oppressum orbem? quis vindicabit afflictam urbem? quis eversos mores reformabit? quis colliget sparsas oves? quis pastores errones arguet? quis reducet aut retrahet in sedem suam? nullús ne licentiæ ac scelerum modus erit? &c.* Sed infinitum sit, Petrarchæ doctissimi libera candidáq; de Synagogâ potiùs quàm Ecclesiâ Rom. judicia referre. Qui plura volet, cùm alia, tum istum epistolarum sine titulo librum, qui ipsius operibus insertus est, evolvat.

Deniq; *Boccatius*, ut fuit acerrimi judicii, liberrimíq; ingenii vir, non magis ac superiores illi duo, πλάσματα Papatûs aut ignoravit, aut dissimulavit. Scripsit Italicum quendam librum, quem Decameronem vel principem Galeottum appellat, in quo centum partim fabulas, partim historias narrat, ubi locis non paucis errores & imposturas regni papistici perstringit. Vide qua dexteritate in primâ adeò fabulâ exagitet *confessionem auricularem*, qua homines ex opere operato (ut loquuntur) salvari dicunt: deinde istos, quos solent appellare *Sanctos.* Ostendit enim, eos esse meros hypocritas. postremò istos tam auxios populorum concursus ad ipsa hypocritarum cadavera, & simul tabellas, cereos, vestes, quæ circum eorundem sepulcra stultè affiguntur: id quod suo tempore Venetiis contigisse testatur Vergerius, quum improbissimi & avarissimi illi lignipedes, incolentes lustra illa, quæ S. Francisci à vineâ vocant, propinâssent adorandum popello cadaver cujusdam superstitiosuli & planè stulti Monachi F. Matthæi.

Deinde

Deinde in fabulâ sancti Arigonis Tarvisini cautè & salsè irridet eos qui solent affirmare, campanas in morte alicujus eorum qui pro Sanctis habentur, nemine funes trahente, suâ sponte sonare. Patefacit etiam illic imposturam eorum qui dicunt, se, quum essent omnibus membris debilitati, fuisse ab Imagunculâ aliquâ, vel contactu cadaveris alicujus hypocritæ sanatos. In fabulâ Ferondi *Purgatorium* invectum docet imposturis, quibus Monachi ludificârunt miseram plebeculam. De *Inquisitoribus* verò, Deus bone, quàm turpia & flagitiosa narrat! Deniq; in totum illud Regnum Hypocritarum, totámq; Romanam Curiam, in toto illo libro invehitur solidissimis & apertissimis verbis, ut nec Lutherus, nec ex nostris quispiam alius liberiùs invectus sit. Qua causâ etiam de eo libro vetando, in Consistorio apud purpuratos Patres, accusante quodam Monacho concionatore, tractatum fuisse scribit Vergerius: & sunt utiq; non pauca scandalosa, ut ipsi ajunt, & piarum aurium offensiva exsecta. Hinc scilicet auspicandam putârunt suorum errorum emendationem. Anne verò putamus, talem virum, tam magno judicio, atq; ita liberum & acrem in dicendo, potuisse se continere, quo minùs illo suo modo superstitiosulos irrideret, si animadvertere potuisset, populū eo tempore cæpisse accurrere, ut videret quosdam muros ab Angelis delatos, & sacrificulos talem imposturam fovere & approbare? Vehementer errat, qui id credit. Videatur obsecro in fabulâ Lisetæ illius Venetæ, ex familiâ Quirinorum, quàm dextrè patefecerit, quales soleant esse Angeli illi, quos sacrifici fingunt, & vulgus credit, humanâ formâ, nostrâ ætate, circumvolare, huc illuc vagari, modò huic, modò illi apparere. Videatur etiam in fabulâ Cepolæ, qua dexteritate derideat famosam illam imposturam de stigmatibus Francisci. Quum enim fama sit, Angelum ex ordine Se-

raphinorum humanâ formâ Francisco apparuisse, & quinq; stigmata, semotis arbitris, illi inflixisse: Boccatius inquit, capillos illius Angeli fuisse servatos inter sacras reliquias. Quid verò putemus eum fuisse scripturum, si quid audivisset suâ ætate narrari in populo de quibusdam Angelis, qui ex Iudæâ usq; attulissent vel advexissent in Italiam ingentem nescio quam cameram? Ex quibus omnibus clarâ luce clarius est, Lauretanam fabulam & esse reverâ fabulam; nec annos, ut vult Tursellinus, trecentos, sed ne quidem ducentos adhuc vixisse.

CAPUT XII.

Peregrinationes votiæ. Idoli Lauretani ac Ephesini parallelismus.

NOn te morabor ampliùs, amice lector, ubi, quod bonâ tuâ cum veniâ mihi liceat oro, pauca quædam adhuc de peregrinatione, cùm in genere, tũ præcipuè ad Lauretanam, aliásq; pseudo- Marias, attulero, & veluti bellaria quædam apposuero post Epulum, in quo plus nimio desidendum fuit.

Tralatitium Pontificiis est, ut de Sacrarum Scripturarum arce dejecti, ad commentitiam & malè decantatam Vetustatẽ confugiant: nostris verò Ecclesiis calumniosè Novitatis crimen impingant: exemplo paganorum hominum, qui non minùs priscis temporibus, Ecclesię Dei clamoribus importunis obstrepebant, religionis suæ & cæremoniarum à majorib⁹ acceptarum antiquitatem stultè jactantes: doctrinæ verò Evangelicæ novitatem pari stultitiâ obiicientes. Ita namq; Cæcilius orator paganus apud Minutium Felicem: *Quanto venerabilius ac melius, antistites veritatis majorum excipere disciplinam, religiones traditas colere: Deos quos à parentibus antè imbutus*

butus es timere quàm cognoſſe familiariùs, adorare: nec de numinibus ferre ſententiam, ſed PRIORIBUS *credere?* Similimè Symmachus ſcribens ad Auguſtos Valent. Theodoſ. & Arcadium: *ſi longa ætas*, inquit, *auctoritatem religionibus faciat, ſervanda eſt tot ſæculis fides, & ſequendi ſunt nobis parentes, qui ſecuti ſunt fæliciter ſuos. Sera & contumelioſa eſt emendatio ſenectutis.* Nimirum ut olim pagani, ſic noſtri Pontificii, quod ait de vit. beat. cap. 1. Seneca, *ritu pecorum, ſequuntur antecedentium gregem, pergentes non quà eundum eſt, ſed quà itur*: ac ſtudio capti præpoſtero antiquitatis ψευδωνύμως defendēdæ, Veritatem ipſam, qua nihil antiquius, totis viribus oppugnare conantur. Quid eſt enim Antiquitas non vera, niſi latens ſub larvâ novitas? aut quæ Vetuſtas contra Veritatem ſtare poteſt: cùm ſit extra omne dubium, *id verius eſſe quod prius: id prius quod ab initio: ab initio quod ab Apoſtolis*, uti Tertullianus ait lib. 4. adverſus Marcionem cap. 5. Cæterùm ut aliorum Papalium errorum perveſtigatis primis incunabulis & incrementis, larva perſonáq; antiquitatis, quâ tam inſolenter quàm falsò tumebant, dudum detracta, ídq; demonſtratum fuit, eos vel his demum proximis trecentis annis exortos, quibus nulla fuêre unquam ſæcula literarum omnium fœdâ ignorantiâ deformatiora, & morum, præcipuè inter ſacri ordinis homines, licentiâ ac depravatione contaminatiora: vel certè multò poſt prima ſæcula excogitatos, deinde humanis rationibus auctos atq; defenſos: ita quoq; Peregrinationem ad Templa, Sepulchra, Reliquias Sanctorum, aut Imagines, qualis hodiè in uſu Pontificiis eſt, ἐθελοπερισσοθρησκείαν (Epiphanii verbo) & à Iudæis Gentilibúſq; mendicatam laciniam eſſe, textam à ſuperſtitioſis & hypocritis, ac integræ Chriſti tunicæ aſſutam, veteris memoriæ gnarus ignorare nemo poteſt. Quamvis enim Baronius Annalium tomo 2. pag. 276. aſſerit, *Peregrinationum uſum*

ab ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ cæpiſſe : non tamen id probat, niſi unico exemplo Alexandri, Eccleſiæ cujuſdam circa annũ Chriſti 200. in Cappadociâ Epiſcopi : qui tamen & ipſe non ex voto, ut Baronius dicit, ſed divinis revelationibus excitatus (*κατά τι θεοπρόπιον*) Hieroſolymam profectus eſt, ut ſocius Narciſſo ſeni in Epiſcopatûs adminiſtratione jungeretur, ut refert Euſebius lib. 6. hiſtor. Eccleſ. cap. 11. ubi quidem ait, hũc Alexandrum *orandi causâ* (*εὐχῆς ἕνεκα*) Hieroſolymam profectum : ſcribit autem hoc ex more & conſuetudine ſui ſæculi, quo peregrinationes iſtæ in terram Sanctam Orationis gratiâ uſitatæ erant. Deinde diſertè addit, hoc ab ipſo factũ, *hiſtoriæ* quoq; *gratiâ* (*τῶν τόπων ἱστορίας ἕνεκεν*) ut eſſet videlicet certior de hiſtoriâ Evangelicâ, & ſic in fide ſuâ confirmaretur. Quem in finem, Conſtantini Magni Imperatoris temporibus præcipuè cæperunt terræ ſanctæ loca frequentiùs inviſi : quæ conſuetudo per ſe quidem improbanda non eſt, cùm vota & ſuperſtitio tum abfuerit : paulatim tamen in errorem multitudinem deduxit, ut illa loca aliis ſanctiora judicarẽt eſſe: & proinde nõ in poſtremâ pietatis laude ponerent, ex remotiſſimis Orbis Chriſtiani partibus certatim eò confluere: qualium Peregrinationum in Palæſtinam plenæ ſuperiorum temporum hiſtoriæ ſunt. Quas ſuperſtitioſas peregrinationes ipſi Patres, quos perpetuò crepant Ieſuitæ, improbârũnt. Sic D. Hieronym⁹ in Epiſtolâ ad Paulinũ (to. 1. p. 102.) *Non Hieroſolymis fuiſſe, ſed Hieroſolymis benè vixiſſe laudandũ eſt. Non audeo Dei omnipotentiã anguſto fine concludere, & coarctare parvo terræ loco, quẽ non capit cælum. Domini eſt terra, & plenitudo ejus* (Pſalm. 24. verſ. 1.) *Veri adoratores neq; Hieroſolymis, neq; in monte Gazarim, ſed ubiq; Deum adorabunt* (Ioan. 4. verſ. 23.) *Quum eſſet in templo Chriſtus, dixit diſcipulis ſuis; Abeamus hinc. Et de Hieroſolymis, & de Britanniâ æqualiter patet aula cæleſtis. Nec quicquam fidei*

tua

tuæ deesse putes, quòd Hierosolymam non vidisti. Extat in hanc sententiam prolixa Gregorii Nysseni epistola, multis firmis & solidis contra peregrinationes in Palæstinam argumẽtis munita: quam, etsi sunt ex Pontificiis, qui suppositititiam esse contendunt: Baronium tamen ὁμόψηφον haud habent, qui tomo 4. Annal. hanc epistolam germanum Nysseni partum esse concedit. Quid item Antonius ille famosissimus, quid veterũ alii de Hierosolymitanâ peregrinatione senserint, scimus.

Post hoc primum superstitiosæ peregrinationis genus sexto demum post natum Christum sæculo exortum est aliud multò perniciosius, ad Templa, Sepulchra Reliquiásq; Sanctorum, quod progressu temporis, promissionibus Indulgentiarum largissimis intervenientibus, mirificè fuit auctũ, quũ Fidei rebus ad creaturas à Deo translatis evanescere inciperet doctrina de vero Dei cultu, & de invocatione ejus: quòd ubivis locorum in spiritu & fide rectè possit invocari: & falsa persuasio mentes hominum prorsus occupâsset, quasi alius locus alio sacratior sit ad invocationẽ, & quasi in alio atq; alio loco sancti mortui magis sint præsentes & propitii, qui non postremus Antichristiani regni stabiliendi nervus fuit. Vnde quò magis cultura mortuorum hominum & Sanctorum, vel opinione saltem talium, adaucta est, hoc magis etiam visitationes eorum & peregrinationes ad ipsos creverunt. His tertium deniq; genus additum est, earum peregrinationum, quæ fiunt ad invisendas Sanctorũ imagines, & offerendas illis candelas, aliáq; dona pretiosa. Ex quibus posterioribus præcipuè duabus peregrinationum generibus cùm regalibus sacerdotes opibus cumularentur, nec aliis magis viscerationibus cibum sibi posterísq; dapinarent æternum, earum fovendarum causâ, ut lucri suavis ex re qualibet odor est, portentosa commenta miráśq; versutias adhibuerunt. Horum omnium cũ

Ethnicismo parallelismum hoc loco instituere ut facile, sic nimis longum fuerit. Nisi quod facere tamen haud possum, quin, quod propioribus lineis institutum nostrum attingit, Idoli Lauretani cum Idolo Ephesino, cujus Actor. 19. mentio est, comparationem hoc loco vice corollarii proponam. Præterquam enim quòd Idoli Ephesini Sacerdotes omnes Eunuchi fuerunt, quales Lauretanos sacrificos esse non credo; in cæteris alterum alteri tam est simile, ut vix ovū ovo similius esse possit. Primùm ergo quemadmodum apud Ethnicos imagines atq; templa Dianæ passim locorum plurima quidem extabant, Ephesina tamen Diana principem inter alias obtinere locum existimabatur: ita quoq; apud Pontificios Virgo-Mariarum nullus

Est numerus. neq; enim numero comprendere refert:

ut jure quis illud Petronianum hìc usurpet: *nostram regionem tam præsentibus plenam esse numinibus, ut faciliùs sit Deam* (Virgo-Mariam) *quàm hominem invenire.* adeò non tantùm templa, sed fora, compita, vicos & angiportus obsederunt istæ Divæ. Sed inter has omnes tamen eminet, capútq; attollit, *velut inter ignes Luna minores*, LAURETANA.

2. Ephesinorū sacerdotū astu fama increbuit, simulacrū illud à cœlo delapsū fuisse, ut eò majorē Idolo conciliarent autoritatē cujus cōmenti frigus etsi tantum est, ut incendium illud Herostrati potuerit extinguere: tamē assensores suos invénit. Sic Lauretani sacrificuli cameram simul & imaginem suæ Divæ, cœlesti munere, Angelorum humeris ad se delatum eādē causâ sparserunt in vulgus, nec iis defuit apud plerosq; fides.

3. Ephesinæ Dianæ magna fuit in toto terrarū Orbe pluribus sæculis autoritas, in cujus extruendo templo tota Asia annos circiter 220. laboraverat. Sic Lauretanum Idolum trium sæculorum antiquitatem jactat (quanquam ea tanta non est, ut præce-

præcedenti capite ostendimus) & in eo magnificentissimè exornando, plurium Pontificum laboravit industria.

4. Eo toto tempore plures fuisse credibile est, qui fraudē Ephesinorū sacerdotū suspectârunt, salséq; riserunt. Vt cùm Hegesias Magnesius, ut est apud Plutarchū in Alexandro, per jocū dixit, quando templum Ephesinum ab Herostrato incensum conflagravit, Dianam περὶ τὴν τοῦ Ἀλεξάνδρου μαίωσιν occupatam domo abfuisse, cùm Olympiadi eâdem die Alexandrum parienti adesset. Quomodo etiam Pausanias in Arcadicis annotavit, pueros circa templum Dianæ Condyleatidis ludentes, funiculo, quem repererant, Dianę signum, obligato collo per lusum traxisse, Dianam strangulari dictitantes. Scilicet intellexerunt quod res est, nihil hìc divinum subesse, sed ficta esse isti Deæ præcordia ex ligno,

Quod faber incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse Deam.

Eodem modo Italis, ut sunt ingenio perspicacissimo, cæterísq; Pontificiis quibus aliquid salit —*læva in parte mamillæ,* non dudum suboluisse Lauretanam imposturam, *Credat Iudæus apella, Non ego*: nisi quòd vel emolumenti dulcedine illecti, vel absterriti metu periculi, tacito id pectore condiderunt.

5. Ephesum suscipiebantur votivæ peregrinationes, affluebátq; maximus hominum numerus, ut cùm variis ex authoribus Ethnicis, tum etiam ex cap. 19. Actor. Apostolicorum constat, ubi Demetrius testatur, totam Asiam, & universum Orbem Ephesinæ Dianæ majestatem colere. Idem de Lauretana Mariâ Tursellinus aliiq; istius Idoli Demetrii prædicant.

6. Idolo Ephesino sui defensores haud defuerunt, sed tales ferè, quibus illud quæstui erat. Vt fuit is, de quo modò dixi Demetrius argentarius, qui delubra sive ædiculas capsulásve argenteas, & alia superstitionis instrumenta, in honorem Dianæ

faciebat,

faciebat, simúlq; omnibus sui ordinis opificib⁹ quæstum ingentem exhibebat. ut mirum non sit, eum *Magnam Ephesiorũ Dianam* magnâ ad populum vociferatione intonâsse atq; extulisse: qui intelligeret, rẽ ad Saguntinã famẽ spectare, si Pauli concionibus hæc Diva vilesceret. Haud secus Idoli Lauretani patrocinium ij præcipuè suscipiunt, quorũ culinam aut frugaliùs instrui, aut planè frigere necessum esset, si hæc, & aliæ id genus imposturæ vulgarentur. Cujusmodi præter illos quatuor Demetrios, cum quibus res mihi fuit hactenus, etiam est Christophorus Marianus (an fortè Maranus) cujus libellum Vrsellis A. D. 1601. editum vidimus, ubi *trophæa Mariana* (vel Marana potiùs) in tholo Lauretano fixit, ob *Hæresin*, ut ait, *triumphatam*: ita scilicet, ut C. Tacitus, *Germanos triumphatos esse magis quàm victos*, alicubi scribit.

7. Idem Idoli Ephesini defensor Demetrius orationem suam duplici ratione firmavit: unâ, ab utili, cujus potissimã rationem apud homines sordidos & famelicos esse noverat. *Scitis* (inquit) *quòd ex hoc opificio quæstus nobis est. Quid ergo restabit quàm ut fame pereatis, si Pauli doctrinâ opificium hoc vestrum everti patiamini?* Altera ab honesto sumitur. *Magnam nobis infamiam contrahemus, si magnæ Dianæ majestati & honori detrahi, eámq; religionem intercidere patiamur, cujus tanta est, in toto terrarum orbe, apud imos summósq;, tot jam sæculis, autoritas.* Qui Lauretanam domũ salvam volunt & incolumem, inter eos vix unum quidẽ reperias tam ingenuũ, quàm Demetrius ille fuit, ut primam istam rationẽ, quæ præcipua tamẽ ipsis est, apertè proponat: confugiunt autẽ omnes ad secundã: non solùm stolidæ multitudinis consensu, sed & Regum ac principum autoritate nituntur: externæ religionis splendorẽ, temporis diuturnitatẽ jactant: pietatis studiũ ventri & quæstui suo prætexunt: Divæ Virginis honorẽ adversùm Hæreti-

Hæreticos obstrigillantes, & velut ex compacto decus ejus omne imminutū euntes, asserere se profitentur. Quanquam majore id quàm Ephesii faciunt impudentiâ. Nam Ephesiæ Dianæ cultum palàm Paulus oppugnabat, adeóq; hostis illius erat publicus: quis verò, ex nobis debitū D. Mariæ cultum evertit? quis illius honori dignitatiq; derogat? Favemus utiq; toto pectoris affectu gloriæ τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου Virginis: sed de eâ fingi mendacia, aut fictis haberi fidem: hoc verò nos, Zelo veræ pietatis succensi, ferre non possumus.

8. Deniq; in universum omnes pseudo-Mariæ Papisticæ cum omnibus Dianis Ethnicis, ut numero, sic appellationum varietate sese adæquârunt. Et quidem inter Dianas à locis appellationem sortitas, principem, ut occupavi dicere, locum Ephesina tenet: sequuntur aliæ magno numero, quarum aliquas ex Tacito, Plutarcho, Pausania, autoribus aliis, dabo. Est Diana Persica, in cujus fano Castabali sacras mulieres illæsas nudis pedibus super prunas ingredi tradunt. Est Stymphalia, cui cùm Arcades indiligentiùs sacra facerent, Stymphalus amnis restagnans, campum longè latéq; perdidit, donec illi ad officium redirent: ne solam Lauretanam nostram adeò putes irritabilem, quæ sui apud Illyrios neglectū discessu vindicavit. Est AEgyptia Bubasti, ad quā quotannis AEgyptii commeant honoris causâ, ut ad Lauretanā accolæ. Est Attica, Achaica, Delphica, Deliaca, Icaria, Taurica, Epidauria, Trachinia, Caryatis, Condyleatis, Ambraciotica, Cyzicena, AEtolia, Trœzenia, Argiva, Hyperæstiensis, &c: Non minor earū diversitas est, quæ vel à conditoribus, vel præstitis beneficiis, vel aliis accidentibus eventibúsq; nomen sortitæ fuerunt. Hinc illa Dianarū avia Ephesina fuit cognominata πολύμαστος, quasi Multimammia, eò quòd eam omniū animantiū nutricē crederēt. Sic alia Diana dicta fuit Lya, propter intestinā discordiam ejus

ope ſublatã: alia Euripпе,quòd neſcio quẽ in inveniẽdis equab⁹ adjuviſſet: alia Hemereſia,id eſt,placabilis: itẽ Diana Soſpita,Peitho ſive Suadela,Ariſtobule, Alpheja, Cnagia, Laphria, Potamia,Munychia,Neleis, Orthria ſive Orthia, Leucophryna', Limenitis,ſeu, ut alii, Limnatis, Triclaria, Amphipyros, Dictyna,Enodia, Hymnea, Trivia,Coryphea, Triclaria, Phyllas,& quæ non ?

Perſimilis huic Ethnicæ Papiſtica ſuperſtitio eſt, ut unum utriuſq; autorem facilè agnoſcas. Nam & his ſuæ Pſeudo-Mariæ, ſeu,quas vocant, *Noſtræ Dominæ*,ſunt in duplici differentiâ: quædam à loco in quo degunt: aliæ ab opificio quod exercent,nomen ſortiuntur. Priorem illam claſſem ducit, quod ſæpè dixi,Lauretana,cujus ad archetypum,dici non poteſt, quot formata fuerint ectypa. Turſellino namq; teſte lib. 3. fab. Laur. cap. 5. in agro Piceno nulla urbs, nullum fermè oppidum eſt,ubi non ædes aliqua extet ſacra Virgini Lauretanæ. Eidem nobiliſſimæ quæq; urbes Italiæ, ut Roma, Neapolis,aliæ,templa conſecrârunt. Nec verò Italiæ finibus ſe tenuit hæc Lauretanæ Domûs religio: ſed & in Siciliã, in Galliã,in Luſitaniam,ipſámq; Scotiam tranſgreſſa fuit; etſi Scotica hæc Lauretanæ ſacella Turſellinus ab Hæreticis diruta dolet. Præter Lauretanam,eſt Maria Bolonienſis,Maria Puteana, Maria Alverniæ, Maria Aquenſis, Nantolienſis, Francolienſis, & ne ſolis externis immoremur, Ratiſponenſis Formoſa,ad quam Satanicis artibus excitatas olim à ſacrificis,hominum furibundorum peregrinationes fama erat: quales artes in aliis etiam intervenire credibile eſt. Hujus primæ quoq; ſpeciei ſunt à ſitu factæ denominationes. Vnde Maria alia Vallenſis,alia Montenſis. Et in multis nomen montis ſpecialiter expreſſum eſt: ut Maria Montis ſerrati, unde Lojola prodiit,Maria montis Gualteri, M. Montis Rolandi, & in Septimaniâ Maria de Cabimont,quaſi dicas in culmine montis,

M. ſyl-

M. ſylveſtris, M. campeſtris, M. de bella quercu: item Maria nivium, propterea quòd in ſummo calore æſtatis, locus ubi ea erat, miraculosè depræhendebatur plenus nivibus, ut ajunt, &c:

Altera ſpecies earum eſt, quæ ab opificio quod exercent, vel aliis attributis denominantur. Vt Maria Recuperatrix, M. Conſolatrix, M. Auxiliatrix, M. lætitiæ, M. omnium gaudiorum, M. Miſericordiæ, Virtutum, bonorum novorum, boni deſiderii, & infinitæ aliæ. Quin etiam teſtatur Ioannes Menardus, Turonibus fuiſſe, quæ *Maria omnium pulchritudinum* diceretur, eò quòd ad formam elegantiſſimarum puellarum Turonenſium picta eſſet, eo modo quo Venerem aliquis veterum picturus, Virgines aſpexit, ut, quod in quaq; laudatiſſimum eſſet, picturâ redderet. Ita non Dianæ modò, ſed & Veneri parem Papiſtæ ſuam pſeudo-Mariam faciunt: id quod eximiè præſtiterunt etiam in hiſce verſibus, quos à profano poëta in Venerem Cupidinémq; luſos, ipſi ad Mariam & quem armo tenet Infantulum accommodârunt:

Hunc ego ſæpè ſuâ poſcebam à matre puellum:
Ille ſed à caro noluit ire ſinu.
Hanc ego ſæpè ſuâ poſcebam à prole parentem:
Illa ſed à puero noluit ire ſuo.
Quid faciam? negat hæc puerum, negat ille parentem:
Non vult alteruter ſe dare: uterq; dabit.
Vel rapiam matri puerum, matérq; ſequetur:
Vel rapiam matrem: nolet abeſſe puer.

Errata typographica.

PAg. 3. lin. penult. *proſtratam* 38. lin. 6. *exornata* 39. lin. 5. à fin. *ea quam* 47. lin. 15. lege 27. 59. lin. penult. dele *ſeſe* 68. lin. ult. *majus* 80. lin. 8. à fin. pro *ſe* lege *ſed*.

Lectori benevolo.

VAcaturas alioqui pagellas libet implere *Planctu Bernhardi, Benedictini Monachi Corbejensis*, qui claruit Anno Domini 1070. Vir (Trithemii in scriptoribus Ecclesiasticis elogio) in divinis scripturis nobiliter doctus: in sæcularibus literis peritissimus, ut tunc erant tempora, carmine excellens & prosâ: ingenio subtilis, & disertus eloquio. Hoc πρόθημα lege, te quæso, Rœsti: & vel depuduisti, vel posthac desines morum corruptionem religioni nostræ tribuere. Lege tu quoq;, Pyriopola Molsheimensis, invenies jam ante plusquã quingentos annos, Ecclesiæ Romanæ Prælatos, PILATOS appellatos à Monacho, quod à D. Speccero nostro dictum, delicatulus tuus stomachus concoquere non potest. Invenies item de jam tum corruptissimo Ecclesiæ Romanæ statu justissimam verissimámq; querelam, quẽ progressu temporis in deterius esse lapsum, virésq; acquisivisse eundo, quis nescit? Et tu tamen in ignitabulo tuo mihi velut intolerabilem calumniam objectâsti, quòd Ecclesiam Romanam in meretricem degenerâsse dixi. Nullæ fœminarum in vindicandâ pudicitiæ laude sunt acriores, quàm quæ eam omnium minimè merentur.

Collatio-

Collationis gratiâ
Pertractaturus aliqua
De statu clericali:
Narrabo de insaniâ,
Quæ regnat in Ecclesiâ,
Processu criminali.
Vbiq. nunc religio
Recedit à vestigio
Sanctorum præcessorum:
Mundanus est mundanior,
Et vanus multò vanior
Vbilibet locorum.
Non est in eâ sanitas,
Sed vanitatum vanitas,
Et omnia neglecta.
Permixta secularibus,
Et fœminis & maribus,
Omninò fit despecta.
A maximis ad minimum,
Vix habet unum filium
Religio tam sacrum:
Qui purè propter Dominum,
Religionis habitum
Portare videatur.
Sed permulti nunc, proh dolor,
Conversi quidem non ad cor,
Sed magis ad pulmonem:
Vt vivant commodiùs,
Et bibant gloriosiùs,
Intrant religionem.
Non sic vos impij, non sic,
Sed tanquam pulvis estis hic,
Qui rapitur de terrâ:
Si vivitis neutraliter,
Torquebimini pœnaliter,
Sub inferorum serrâ.
Indigni Deo Domino,
Despecti quoque seculo,
Peribitis in Guerrâ:
Vos omnes esse, timeo,
De presbyterorum numero
Damnabili reverâ.
Omnes ad clericalia
Recurrunt, ut per talia,
Quæ sua sunt, acquirant:
Messiam non inveniunt,
Nec invenire cupiunt,
Spontaneè delirant.
De Christi patrimonio,
Sub pompis & præconio
Viventes, intumescunt:
Intenti voluptatibus,
Et mundi vanitatibus,
De cappis erubescunt.
Non solùm noto monachos,
Sed etiam canonicos,
Et fictas moniales:
Quæ propter Iesum minimè
Videntur esse filiæ,
Et filij spirituales:
Sed magis, ut divitijs
Fruantur, & delicijs,

Et cæteris cupitis:
Quæ replicare nequeo,
Nec volo, neque debeo,
De istis hypocritis.
A quibus multa patitur,
Confunditur, & quatitur
Navicula marina:
In quâ dormit jam Dominus
Quem suscitat discipulus,
Et postulat divina.
Væ mundo nunc à scandalis,
Et clericis & laicis
In mundo constitutis:
Impellitur navicula,
Iam tanta sunt pericula,
Quòd vix est spes salutis.
Vix tamen surgit aliquis,
Et rogat Dominum pro ijs
Periculis instanter:
Ne navis sanctæ fidei
Mergatur ab hypocrisi,
Quæ regnat abundanter
In cunctis terræ finibus,
In ventis & turbinibus
Innumeris, tam dirè:
Quòd nisi Deus faciat
De speciali gratiâ,
Timendum est, perire
In die propinquissimo
Zizania cum tritico,
Et è controverso quidem:
Nam Satan est in foribus,
Et in mille coloribus,
Ad destruendam fidem,
Quam Christus suo sanguine
Construxit in examine
Cruentæ passionis:
Dum perfidos damnaverat,
Et credulos salvaverat
In proprijs personis.
Quid ampliùs edisseram,
Si vera loqui debeam,
De vitâ clericorum?
Prælati sedent hodie
In opulentâ requie,
De sorte miserorum.
Vivendo supervacuè:
Qui charitatem maximè
Deberent exercere,
Præ cæteris fidelibus,
In omnibus hominibus:
Virtutes exhibere.
Cum bonis exemplaribus
Tam fœminis, quàm marib⁹:
Viam salutis dare:
Non alta quidem sapere:
Non fremere: non rapere:
Non aliquem truffare.
Hæc essent meritoria,
Servorum Dei gloria,
Fidelium tutela:
Per quæ manerent principes,

Et Chri-

Et Christiani simplices
In fidei sequelâ.
Sed ubi possunt hæc discerni?
Cū nec priores, nec moderni
Pro Deo famulentur:
Imò pro temporalibus
Omnes ceu spiritalibus
Insistere videntur.
Majores cum minoribus,
Indocti cum doctoribus,
Et cæteri de clero,
Non habent rectam speciem,
Nec curant cœli precium,
De Christo Deo vero,
Sub cuius umbrâ latitant,
Et sua bona dissipant
In pompâ seculari:
Sūt PILATI, *non* PRAELATI,
Plùs quā tyranni, depravati:
In virtutibus ignari.
Per quos & grex fidelium
Tractatur in interitum,
Messiâ permittente:
Corrupti simul pereunt,
Abominabilesq; facti sunt,
Diabolo suadente.
Non est qui bonum faciat,
Non est qui Deum diligat,
Inutiles effecti.
Ad munera respiciunt,
Iustitiam non sitiunt,
Debeijs illecti.
Non vivunt Christianiter,
Nec justè, nec humaniter,
In seculo præsenti:
Vt magna fortalitia,
Et plura beneficia
Possideant, intenti.
Eorum verè spiritus
Inanis est, & irritus
Ad Dei famulatum:
Ab istis omnis gravitas
Egreditur, & ruit pravitas
In seculo passatum.
Emergit insolentia,
Recedit conscientia
Communiter à clero:
Quæ, qualis, quanta furia
Committitur in Curiâ?
De Curtisanis quæro.
Nam illi sciunt practicam
De Simone truffaticam,
Scripturas & Calendas:
Quas ille mille artifex,
Diabolus, eorum rex
Invenit exercendas:
Vt pauperes abijciant,
Et divites alliciant,
In modis & in formis.
Quid aliud per atria,
Quàm patens idolatria,
Et clericus enormis?

Non

Non psallitur Davidicè,
Sed prorsus hypocriticè,
De beneficiatis:
Qui qualiter, & quomodo
Servire solent Domino,
Iam dicebatur satis.
Nunc de eorum uestibus,
Et moribus, & gestibus
Ad modicum tractabo:
In quibus fatualiter,
Et merè laicaliter,
Incedunt, increpabo.
Canonici, cum cæteris
Collegiorum socijs,
Mundaniter imbuti,
In varijs & serico
Vestiti vadunt Ierichо,
Mollissimis induti.
Ne quid eorum corpora
Sustineant, vel aspera
Tenerrimos offendant:
De pretiosis pellibus,
Subtilibus, & mollibus
Camisias emendant.
Vt placeant hominibus,
Nituntur suis crinibus
Incedere politis:
Coronas in capitibus
Ferunt de pilis mitibus,
Et rebus exquisitis.

Sic imitantur Dominum,
Qui pro salute hominum
Est spinis coronatus.
Sic serviunt altissimo,
Qui non pepercit filio,
Dum stetit immolatus
In cruce nudis genibus,
Et manibus & pedibus,
Et dextrâ perforatus.
Sic deridetur Dominus,
A servo nihilominùs
In viâ prosperatus.
Præbendas habet quatuor,
Et est Ecclesiæ pastor,
Vel potiùs mercator:
Si fortè chorum visitat,
Non propter Iesum ibi stat,
Præsentiæ spectator.
Mox habitâ præsentiâ,
Cum magnâ vehementiâ
Recurrit ad mundana:
Sequentibus consocijs,
In seculi negocijs
Multiplicat prophana.
Cum longis, amplis manicis,
Et actibus tyrannicis,
Incedit equitando:
Persequitur deificos,
Subsannat scientificos,
In malis gloriando, &c:

FINIS.